



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



<36639093180019

<36639093180019

Bayer. Staatsbibliothek

Polen. 1102¹¹¹ - 1

THEOLOGIA

POLEMICA

AD
USUM AUDITORUM

LECTORE

FR. PETRO MARIA GAZZANIGA,
ORD. PRÆD. S. TH. DOCT. AC PROFESS.
PUBL. ET ORD.

Præliare bella Domini. l. Regum XVIII. 17.

TOMUS I.



VIENNAE,

TYPIS IOAN. THOM. NOB. DE TRATTNERN,
CAES. REG. AVLAE TYPOGR. ET BIBLIOP.

1778.

BAYERISCHE
STAATSBIBLIOTHEK
MÜNCHEN



INDEX CAPITUM.



Theologiæ Polemicæ prolegomēna.	p. I.
Cap. I. Quid sit Theologia Polemica, quis ejus scopus, & quæ utilitas, ac necessitas?	3
Cap. II. De regulis servandis in dispu- tationibus polemicis.	9
Cap. III. De varia Theologiam pole- micam tractandi methodo.	21
Cap. IV. De variis Theologiæ polemi- cæ adjunctis.	24
Caput postremum. De variis nostræ Religionis hostibus, ac de modo cum iis utiliter disputandi.	26
Pars I. In qua infidelium contra veram Religionem systemata exponuntur, & confutantur.	30
Sectio I. Exponitur, quid sit Atheismus, & quænam ejus genera.	33
Cap. I. Exponuntur, & refutantur va- ria Atheorum systemata.	36
Cap. II. Præcipuæ Atheorum difficulta- tes exponuntur, & enodantur.	49
Cap.	

I N D E X

Caput. III. Exponitur, & refellitur atheismus Pantheisticus, seu Spino- zisticus.....	58
Cap. IV. Exponitur, & refutatur athe- ismus nuperi auctoris libri pestilentif- simi, cui titulus: <i>Systema naturæ</i> ..	71
Cap. V. In quo breviter ostenditur, atheismum esse impietatem omnium perniciosissimam.....	80
Sectio II. Recensentur, & impugnantur varii eorum errores, qui <i>Deistæ</i> vul- go appellari solent	89
Cap. I. Ostenditur, animum hominis esse incorpoream substantiam.....	95
Cap. II. De hominis libertate.....	117
Cap. III. De animi humani immortalitate	140
Cap. IV. Ostenditur, contra veteres, no- vosque Epicureos, aliquod esse na- tura sua bonum, & malum,.....	155
Sectio III. De Naturalismo.....	181
Cap. I. Ostenditur, sine superna Dei re- velatione omnia ea officia perfecte, & sine errore cognosci non posse, quæ Deo, nobis, atque aliis ex lege naturali debemus.....	184
Cap. II. Contra Naturalistas evincitur, necessariam esse Religionem <i>superna- turalem</i> , quæ nonnisi Dei revelatione innotescere potest.....	197
Cap. III. Religio a Deo revelata conti- nere potest mysteria, quæ nostram ra- tionem longe superant, ei tamen non opponuntur.....	218
Cap.	

C A P I T U M.


- Cap. IV. De veræ revelationis notis, præcipue autem de miraculis, & prophetiis. 229
- Cap. V. De existentia divinæ revelationis in veteri Testamento. 258
- Cap. VI. De revelatione N. T. 285
- Cap. VII. Breviter exponuntur nonnulli alii characteres divinæ revelationis per D. N. I. C. manifestatæ . . 323
- Cap. VIII. Solvuntur Incredulorum objectiones contra ceteras divinæ N. T. revelationis notas. 333
- Sectio IV. Contra errores Judæorum, Gentilium, & Mahumetanorum. . . . 359
- Cap. I. Ex miraculis, & vaticiniis J. C. quorum veritatem in sup. sect. demonstravimus, luculenter eruitur contra Judæos, eum esse Messiam in lege promissum. 363
- Cap. II. Epochâ adventus Messiæ a prophetis prædicta est, nec fingi potest eam aliqua de causa fuisse dilatam. . 369
- Cap. III. Ex vaticinio Jacobæo, refutatis falsis ipsius interpretationibus evincitur, Messiam jam dudum advenisse, eumque esse Jesum Nazarenum. . 385
- Cap. IV. Ostenditur, Danielis vaticinium fuisse in Jesu Nazareno adimpletum. 406
- Cap. V. De vaticiniis Aggæi, & Malachiæ. 421
- Cap. VI. Ex prædictione conversionis Gentilium, aliisque nonnullis prophetiis

tiis

INDEX CAPITUM.


- tiis evincitur, Jesum Nazarenum esse Messiam..... 429
- Cap. VII. Ex præsentis Judaicæ nationis statu a Prophetis prædicto magis confirmatur, Jesum Nazarenum esse Messiam a Deo promissum..... 436
- Cap. VIII. Perperam Polytheistæ, atque idololatræ supersticiosam suam doctrinam divinitus esse revelatam jactant..... 446
- Cap. IX. Impuræ Mahumetanorum sectæ nulla divinæ revelationis nota suffragatur..... 474





THEOLOGIAE POLEMICAE PROLEGOMENA.

PROOEMIUM.

 Cum Theologia Polemica alia prorsus ratione, quam hactenus in nostris scholis usitatum fuerat, tractanda sit, operæ pretium est, paucis saltem nostram ejus tradendæ methodum initio delineare. Porro antea illa nihil aliud esse videbatur, quam mera repetitio, & quasi collectio eorum fidei articulorum, qui in Theologia dogmatica suo quique loco expositi, confirmati, ac vin-
Gazzan. Theol. polem. A dica-

dicati fuerant; quamobrem supervacanea; aut saltem parum utilis esse videbatur. Hac igitur rejecta methodo Theologiam polemicam ita a dogmatica separabimus, ut primo quæ in ista pro Religionis dogmatibus stabiliendis allata sunt, supponantur quidem, non autem inutiliter repetantur: deinde quæ ad Polemicam proprie spectant accurate, copioseque pertractentur. In iis autem pertractandis hunc ordinem sequemur. Præmissis necessariis prolegomenis de natura, scopo, atque utilitate Polemicæ, tum de ipsius regulis, variisque subsidiis, eam in tres omnino partes dispertiemur: in quarum prima, qua majori fieri poterit, perspicuitate, juxta ac necessaria brevitate exponemus, & refutabimus eorum systemata, qui a Religione christiana alieni sunt, & *infideles* propterea vocantur: in altera vero eadem methodo utentes, contra hæreticos agemus, & præcipue contra eos, qui adhuc Ecclesiæ pacem turbare pergunt: in tertia demum varios modos explicare conabimur, quibus adjuvante Dei gratia tam infideles, quam hæretici agnitis suis erroribus ad unam, & veram Christi religionem adducantur, *ut fiat unum ovile, & unus Pastor* Joan. X. 16.

C A P U T I.

Quid sit Theologia polemica? quis ejus scopus, & quæ utilitas, ac necessitas?

I. **T**heologia polemica, si vim nominis attendamus, nihil est aliud, quam Theologia *bellicosa* ἀπό τῆς πολεμείν, quod est *bellare*. Vocari etiam solet Theologia *elenctica* a voce ἐλέγχω, quæ, teste Scapula, nonnunquam significat *redarguere, refellere, & convincere*. Definiri autem potest *ars, seu scientia veræ Religionis dogmata contra omnes errores tuendi, atque errantes ipsos opportunis mediis ad veritatis semitam reducendi* (a).

Quid sit
Theologia
polemica?

A 2

II, Ex

- (a) Hinc patet, in tribus potissimum Theologiam polemicam a dogmatica distingui. 1^{mo} quia in Polemica, ut nunc quidem tradenda est, errores tum infidelium, tum hæreticorum non sparsim, aut promiscue hujus, vel alterius Sectæ refelluntur, ut in dogmatica fieri solet; sed cujusque Sectæ integrum systema toto suo nexu, ac complexu exhibetur; quæ uniuscujusque systematis prima veluti principia, ac ceterorum fulcra sint, ostenditur; atque his solide confutatis reliqua facilius subvertuntur. 2^{do} Quia in dogmatica iis, quæ contra veræ Religionis hostes disputari solent, etiam multa immisceri oportet, quæ maximam quidem

ha-

4 *Prolegomena Theoi. polem.*

Quis ejus
scopus?

II. Ex hac definitione jam patet hujus scientiæ scopus, videlicet dissidentes a vera religione ita confutare, ut veritas tandem plena in luce collocata de errore triumphet. Sed alius est etiam illi propositus finis, ut scilicet fideles in veritate confirmentur, nec se ab adversariorum fallaciis decipi patiantur.

Quæ utili-
tas?

III. Patet etiam, quæ, & quanta sit ejusdem utilitas; ut nempe Ecclesia doctores, & pastores habeat, qui non solum commissum sibi gregem veræ doctrinæ pabulo nutriant, sed qui etiam eundem a luporum infidiis defendant. (b)

IV.

habent cum fidei principiis connexionem, & ipsius fidei dogmatibus illustrandis plurimum inserviunt, ad fidem tamen ipsam non ita pertinent, ut citra piaculum negari non possint; cum nonnisi opiniones Theologorum sint, utut in verbo Dei scripto, & tradito solide fundatæ: in Polemica autem nonnisi de firmissimis, atque indubitatis Religionis articulis agitur. *3tio* In Polemica, præter errorum confutationem, ea etiam media tradenda sunt, quæ errantium cordibus flectendis aptiora esse possunt, ut veritatem non agnoscant modo, sed etiam amplectantur.

- (b) Promisit quidem Christus, se Ecclesiæ sponsæ suæ perpetuo affuturum, ne portæ inferi prævaleant adversus eam; cujus promissionis veritatem ab 18. ferme seculis confirmatam videmus; voluit tamen hac in re mediis etiam hu-

manis

IV. Neque utilis solum est Polemica, Et quæ necessitas? sed plane necessaria (c); cujus necessitatis testis est luculentissimus perpetuus ejus in Ecclesia usus. A primis enim ipsius incunabulis Theologia polemica feliciter usi sunt SS. Patres, imo. ad christianæ religionis sanctitatem, atque ipsorum christianorum innocentiam vindicandam

A 3

con-

manis uti, sedula nempe pastorum, & doctorum cura, ac scientia; quamquam omnes eorum conatus in irritum caderent, nisi Deus invisibilis gratiæ suæ luce, atque efficacia mentes hominum illuminaret, & corda converteret; unde illud S. Prosperi in *carmine de ingratis* :

- - - Percurrat Apostolus orbem

Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet;

*Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficat.*

(c) Necessitas hæc nonnisi hypothetica est, suppositis nempe variis, qui Deo permittente semper fuerunt, sunt, & erunt, hominum erroribus, quibus tollendis, & etiam impediendis Polemica pro virili sua laborat. Doctissimus Jac. Benignus Bossuetus in Admonit. præmissa collationi ab ipso habitæ cum ministro Claudio optabat, scripta polemica ab omnibus legi, ut primis Ecclesiæ seculis in more positum erat; ita enim fideles instructi facilius poterunt & infideles ad fidem attrahere, & fratres errantes corrigere. Id tamen ea cautione præstandum erit, quam inferius §. X. exponemus.

6 Prolegomena Theol. polem.

contra tyrannos persecutores, ut S. Justinus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tertullianus, Tatianus, & Melito Sardicensis: 2do. contra vanas ethnicae philosophiae cavillationes, ut Arnobius, Minutius Felix, Origenes, Eusebius Cæsareensis, Lactantius, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Athanasius, Augustinus, multique alii: 3tio ad Judæorum pervicaciam flectendam, aut saltem retundendam, ut S. Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Eusebius Cæsareensis, S. Jo. Chrysoftomus, & S. Augustinus. 4to contra varii generis hæreticos, ut S. Irenæus, S. Epiphanius, & omnes fere antiqui Ecclesiæ scriptores. Quæ laudabilis, & necessaria consuetudo subsequentibus temporibus semper in Ecclesia servata est.

Non improbat
 probatur a
 S. Paulo.

V. Nollem autem, aliquos contra Polemicam auctoritate S. Pauli abuti, qui in epist. II. ad Timoth. II. 24. præcipit, *servum Domini non litigare*. Hæc enim Apostoli verba sic interpretatur S. Augustinus Lib. I. *contra Cresconium* cap. 6., ut solum excludant *contentiosam animositatem* eorum, *qui vel pervicaci astutia præbent patrociniū falsitati, vel invida jactantia ministrant præconium veritati.*

His

His duobus vitiis declinatis concludit S. Pater, *nequaquam juste reprehendi ministerium nostrum, si contra quoslibet adversarios veritatis ferventi spiritu pro veritate certemus.* Unde etiam paullo ante attulerat ejusdem Apostoli monitum in eadem Epist. II. ad Timoth. IV. 2. *Prædica verbum, instā opportune, impertune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrinā.* Et postea variis exemplis ostendit, id non modo licitum esse, sed utile plane, & necessarium.

VI. Fatendum est quidem, disputationum polemicarum, sive scripto illæ factæ fuerint, sive ore in publicis, aut privatis colloquiis, non semper exitum fuisse felicem; verumtamen primo exempla non desunt, quibus ostendatur, fuisse earum ope veritatem inventam (d). Deinde

Quis disputationum exitus?

A 4

de

(d) Eusebius Lib. VII. *Hist. Eccles.* cap. 24. fragmentum affert S. Dionysii referentis, se in Arsinaitica præfectura tres continuos dies coram Presbyteris, ac doctoribus, aliisque fratribus de Millenariorum doctrina disputasse, ejusque disputationis hunc fuisse exitum, ut Coraci, qui hujus doctrinæ auctor, & signifer fuerat, se convictum fateretur. Aliud exemplum addere possumus, quod de seipso refert S. Gregorius Papa Lib. XIV. *Moralium*, scilicet Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum an.

8 *Prolegomena Theol. polem.*

de malæ disputantium dispositioni infelix earum exitus, tribuendus est, quemadmodum mala ægri dispositione plerumque fit, ut bonæ medicinæ effectū careant.

Quid hic
obiter no-
tandum?

VII. Sed hic obiter nobis notare liceat, ex quo in hujusmodi disputationibus difficile admodum fit, pacem, & concordiam restitui, ac partes litigantes simul convenire, recte inferre Catholicos, aliquo vivo, eoque infallibili controversiarum judice opus esse: sed erit alibi locus de hac re differendi opportunior. Nunc
bre-

582. coram Imp. Tiberio disputando fuisse adactum, ad errorem de corporibus Sanctorum, quæ diversæ generis futura post resurrectionem prædicaverat, deponendum. Alia ejusdem generis facta in Historia Eccles. memorantur. Multo tamen plura exempla contraria habemus: ut enim de temporibus nobis vicinioribus aliquid indigem, in famosis illis dissidiis Patrum nostrorum memoria excitatis, quot disputationes publicæ, & privatæ factæ sunt, quot colloquia habita, quæ vocabantur *pacifica*, quot libri polemici ex omni parte conscripti! nec tamen exoptata concordia consecuta: immo contentiones & plures, & acerbiores factæ. Hinc nonnulli disputationes polemicas non solum ut inutiles, verum etiam ut perniciosas eliminandas esse putarunt. Ita Mich. Montagne in suis *Essais* Liv. III. ch. 8., & Bælius frequenter in *Dictionario*; pluresque alios enumerat Joan. Fecht in *Dissert. de studio Theol. polem.* harum disputationum hostes, & irrisores.

breviter de quibusdam regulis dicendum, quibus ea vitia caveantur, quæ disputationes polemicas inutiles, immo & noxias persæpe reddunt.

C A P U T II.

De regulis servandis in disputationibus polemicis.

VIII. **R**egula prima esto, ut solo veritatis amore ad disputandum adducamur. Hæc autem regula, cum in omni generis disputationibus præ oculis habenda sit, nullibi tamen est magis necessaria, quam in disputationibus de Religione, in quibus agitur causa Dei, & ubi error, non solum turpis, sed perniciosissimus est. Sane nemo unus invenitur, qui non profiteatur, se unice pro veritate invenienda disputare; sed si omnes intima conscientiae suæ arcana sepositis passionibus scrutarentur, quam multi se deceptos esse perspicerent: Deo autem, qui scrutator est cordium, omnia patent; atque adeo etiam atque etiam orandus est, ut nobis veritatis amorem, animumque docilem largiatur, *ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus, & colle-*

Amor veritatis.

gis nostris utiliter, & salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima, ipsa potius nostra ducamus. Verba sunt S. Cypriani in epist. 71. ad Quintum relata a S. Augustino Lib. II. *de Baptismo* cap. 4.

Cui con-
jungenda
est caritas.

IX. Alia regula huic proxima est, ut veritatis amori caritatem jungamus: *veritatem, & pacem diligite*, ait Dominus ore Zachariæ VIII. 19., & S. Paulus Ephes. IV. 14. nos monebat, *ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris: veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Error duntaxat nobis odio habendus, errans autem ut proximus diligendus; nec ejus confusio, sed tantum correctio quærenda, ut non nos de adversario, sed tantum ut veritas de errore triumphet.

Et scientia.

X. Tertio caritati adjungenda est scientia; & certe nihil pejus Theologiæ polemicæ accidere solet, quam cum homines imperiti, opportunisque armis minime instructi in hujusmodi certamina descendunt. Quo tamen vitio nihil hoc tempore frequentius, quo videmus, homines

lit-

litteris quidem politioribus excultos, sed qui Theologiam nec a limine salutarunt, de sublimioribus Religionis mysteriis imprudentissime disputare. Qui utiliter cum Religionis hostibus congredi vult, debet primo accuratam rei, de qua agitur, notitiam sibi comparare, & utriusque partis momenta, non molli brachio, sed omni studio, & diligentia perpendere (e).

. . . . Cui lecta potenter erit res
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus
ordo.

XI.

(e) Hoc vitium carpebat olim S. Hieronymus epist. 50., alias 103.; & S. Gregorius Nazianzenus Orat. 26. legem constitutam esse cupiebat, ut quemadmodum olim apud sapientes Hebræos a quibusdam scripturæ sacre libris juvenes arcebantur, utpote tenerioribus adhuc, minimeque firmis animis haudquaquam profuturis, ita non quibuslibet, nec semper, sed certo tempore, ac certis hominibus de fide disputandi potestas fieret, iis nimirum, qui nec ingenio sunt omnino segni, & ignavo, nec rursus iis, qui inexplebili quadam aviditate laborant, gloriæque studio ducuntur, atque in pietate ferventiores sunt, quam par sit. . . . sed iis solum, qui in disputationibus modesti, ac vere compositi, & temperantes essent, libera disputandi facultas daretur. Laicis personis publice, vel privatim de mysteriis fidei disputare vetitum esse, habemus ex cap. Quicumque qdo de hæreticis; tum etiam ex Constitutione II. Nicolai III. Noverit, §. 19., & ex aliis locis juris Ecclesiastici: quæ tamen prohibitio
suas

Præjudicia
seponenda.

XI. Quarta regula fit, ut studia partium, ac præjudicia seponantur, quibus aliqui, tanquam polypi saxo, præconceptis opinionibus indivulse adhærent; unde fit, ut tantummodo modos quærant, quibus eas confirment, & contrarias refellant, non autem ut veritatem inveniant. (f)

XII.

suas patitur exceptiones, attentis circumstantiis personarum, & necessitatis, ut Canonistæ observant.

(f) Haud me latet, nos ab Heterodoxis accusari, quod in disputationibus polemicis contra ipsos animum semper afferamus sententiis ab Ecclesia catholica jam definitis præoccupatum. Sed eos rogamus, ut considerent, nos ante omnia punctum illud de Infallibili Ecclesiæ auctoritate in dogmatibus fidei, & morum definiendis diligenter, accurateque discutere; unde non ex præjudicata, aut levi opinione certissimis Ecclesiæ oraculis adhæremus: *contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipse confringitur*, aiebat de auctoritate Matris Ecclesiæ S. Augustinus Serm. 294. n. 17. Deinde etiam si de istorum dogmatum veritate certi jam sumus, nullam tamen prætermittimus operam, quæ eadem ad scripturæ sacræ, sanctorumque Patrum amussim exigamus, *utique propter adversarios, non propter nos; fratres enim nostri sunt; permoti sunt profunditate questionis; sed regi debuerunt gubernaculo auctoritatis*, ut S. Augustinus laud. Serm. 294. de Donatistis inquebat. Multa hæc in re erudita habet Laminus Pritanius, seu Lud. Muratorius in pluribus capp. Libri I. *De ingeniorum moderatione in religionis negotio.*

Errore,
prout sunt,
exponendi.

XII. Quintam regulam constituat candor animi, atque sinceritas, ut errores, prout sunt, afferamus, & confutemus, eosdem minime exaggerantes, multoque minus adversariis eas sententias affingentes, a quibus se alienos profitentur. Id autem multis de causis contingere solet. imo. quod eorum mentem intime perspectam non habeamus, five ex negligentia in eorum libris pervolvendis, five etiam ex disputationis fervore, quo aliqui abrepti rem, ut est, perspicue videre non possunt (g). 2do quod omnibus alicujus sectæ affectis illud tribuitur, quod in unius, vel alterius, aut etiam plurium libris legitur, cum tamen opiniones privatorum sint, non communia omnium dogmata (h).

3tio

(g) Sic S. Cyprianus æstu disputationis abreptus mentem S. Stephani R. P. de non rebaptizandis hæreticis affectus non fuisse videtur, cum illum accusavit, quasi approbaret baptismum etiam vitiata forma collatum. Si id Sanctis aliquando contingit, quanta nobis cautione opus est?

(h) Id sæpe accidit hostibus Religionis Romanæ, qui unius vel alterius scriptoris catholici sententias toti Ecclesiæ adscribunt; cum tamen ipsis facile esset nostræ Ecclesiæ sensus ex definitionibus conciliorum, ex decretis Summorum Pontificum ab universali Ecclesia receptis, ex professione fidei Pii IV., aliisque libris

sym.

stio quod confectaria quædam, quæ ex adversariorum principiis fluere creduntur, iisdem quasi certa dogmata ab iis admiffa tribuuntur.

Quomodo
id efficien-
dum?

XIII. Hoc disputantium quorundam vitium *ignoratio Elenchi* appellari potest, quia id probandum assumitur, quod probandum non est. Illud autem declinabimus, diligenter, & attente legendo non quoscunque libros, sed eos, quorum major est apud adversarios auctoritas, præcipue autem eos, qui *Symbolici* vocantur; tum etiam

Symbolicis tuto depromere. Hac de causa *suam expositionem doctrinæ Ecclesiæ catholicæ* magnus Bossuetus adornavit; ut viderent A catholici, quænam essent legitima, & sincera Ecclesiæ nostræ dogmata; atque inde cognoscerent, multa a primis pseudo-reformatoribus fuisse nobis afficta, quæ aut Catholici nunquam docuerunt, aut saltem Ecclesia nunquam ut articulos fidei approbavit. Cum lucem aspexit immortale hoc Bossueti opus, magnus inter A catholicos excitatus est rumor, & plerique sibi a suis magistris impositum fuisse agnoverunt, alii autem sibi a Bossueto imponi putabant, & certo ominabantur, novam hanc doctrinæ expositionem a ceteris Episcopis, præcipue vero a Romano Pontifice condemnatum iri. Sed res contra accidit; nam plures Theologi, Episcopi, Cardinales, & ipse R. P. Innocentius XI. eam ut Concilii Tridentini definitionibus, & veræ Ecclesiæ doctrinæ apprime consonam comprobaverunt. Qua de re læxi meretur admonitio eidem expositioni præmissa.

etiam non nisi ea confectaria adversariis tribuendo, quæ ipsi admittunt; quæ autem ex eorum principiis manifeste fluunt, systemati tribuenda erunt, ac de eorum sequela adversarii admonendi. Utilissimum autem semper erit, quoad fieri poterit, errorem quasi capitalem, qui *πεῖστον ψεύδος* appellatur, indigitare, unde alii veluti ex proprio fonte derivantur.

XIV. Ex his facile quisque videt, multo magis cavendum esse illud quorundam vitium, qui, ut occasionem opprimendi adversarios nanciscantur, vel in prævum sensum eorum verba detorquent, vel sinistre absconditam eorum mentem interpretantur, vel etiam apertis calumniis ad denigrandam Scriptorum famam utuntur. Hunc agendi modum non solum a christiana caritate, sed etiam ab hominis honestate omnino alienum a Theologia polemica procul arcendum esse, res per se loquitur. (i)

Pravæ interpretationes, & calumniæ vitandæ.

XV.

(i) Exempla calumniarum, quibus Philosophi gentiles christianam Religionem denigrare conati sunt, plura suppeditant Justinus, Athenagoras, aliique Apologistæ, præcipue autem Origenes in *Libris contra Celsum*. Multa præsto essent etiam in concertationibus nostra, Patrumque nostrorum memoria enatis; sed ea recensere

Ex abusu-
bus nihil
probatur.

XV. Magnò etiam molimine nihil agunt, qui abusus in Ecclesia Romana sæpius gliscentes studiose colligunt, exaggerant, atrisque coloribus depingunt, ut inde eam veluti *Satanæ synagogam* detestabilem oculis imperitorum reddant. Meminisse enim debemus illorum S. Gregorii M. verborum Lib. XIII. *Moralium* cap. 31.: *Sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, ut sæpe malum, quod averfatur, portando, dissimulando compefcatur* (k). His igitur refecatis vitiis di-
spu-

res nimis longa effec, & odiosa. Pæfæpe non malitia, fed incititia id fit ex neglecto accurato rerum examine. Hujus vitii nec omnes Scriptores nostri immunes fuerunt.

Illicos intra muros peccatur, & extra.

- (k) Petrus Bayle in *Diction.* art. *Viret.* rem. D. obfervat, hoc potiffimum artificio ufum fuiffe Petrum Viret miniftrum Ecclefie pfeudo-reformate in variis fuis libris contra Catholicos, fcilicet magis Ecclefiam Romanam carpens in iis, quæ tolerat, quam in iis, quæ in Conciliis Oecumenicis definit. Sæpius id factum fuiffe, facile oftendi potef. Sed fi abusus ex ipfo fystemate oriantur, tunc ex iis fystematis falfitas colligi poterit. Sic nos contra A catholicos recte colligimus, rejecto femel infallibili controverfiarum giudice latam aperiri portam, ut perniciofiffimæ quæquæ falfitates in Religio-

sputatio omnis quanto maxime fieri poterit candore, ac christiana caritate transigatur.

XVI. Sexta regula admodum necessaria est, ut nunquam a puncto præcipuo controversiæ discedamus; nec ab eo quibuscunque adversariorum artibus nos abstrahi patiamur. Videmus enim sæpissime, gravissimas controversias ad res minutiores, quæ incidentes sunt, vel ad personas tantummodo spectant, ad vanas denique, & inutiles rixas, immo puras putasque logomachias vitio hominum delabij: cujus abusus innumera fere exempla in scriptis eristicis invenimus. Optimum itaque erit, si imo. *statum questionis*, ut dici solet, quæ majori fieri poterit, perspicuitate determinemus: deinde ipsa verba, quando opus erit, breviter explicemus, præsertim si nova sint, a quibus tamen quoad fieri poterit, cavendum erit.

XVII. Multoque magis illud aliorum vitium vitandum est, qui argumentorum vi pressi, effugia quærunt, fraudes, & dolos; quasi in istis etiam pro Religione

Nec querenda effugia.

cer-

ligionem invehantur, quod experientia comprobatum est.

Gazzan. Theol. polem.

B

certaminibus illud locum habeat: *dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* (1) Hinc sæpius videmus, veritatem altercando amitti, quod scopo Theologiæ polemiciæ (§. II.) omnino repugnat.

Ira omnis,
& livor ab-
fit.

XVIII. Postrema regula sit, ut procul a disputationibus nostris arceatur omnis ira, & livor: unde magnopere improbandi illi sunt, qui loco honestæ aggressio- nis, aut necessariæ defensionis scommata, dicteria, satyras virulentissimas, omnis- que generis jurgia in adversarios evo- munt (m).

Quid de
styli acri-
monia?

XIX. Non me latet, aliquam styli acrimoniam, Plautinos sales, acuta quæ- dam verborum jacula, facetos & jocular- res irridendi modos nonnullis probari, ut vehementius lectorum animi excitentur; quod multis SS. Patrum, & nobilif- simorum scriptorum exemplis confirmari

po-

(1) Hac arte usi sunt Arianæ in synodo Ariminensi, ut Catholicos, quos rationibus superare non poterant, dolis caperent. Legatur S. Hieronymus in *Dialogo adversus Luciferianos*.

(m) Tam a civili, quam ab ecclesiastica potestate pœ- næ sancitæ sunt contra scriptores, qui adver- sariorum famam conviciis, ac calumniis lace- rare audent, de quibus dignus est, qui lega- tur P. Pius Thomas Perolinius in eleganti ex- ercitatione *de jure propriæ existimationis, sa- nuæque tuendæ*, Florentiæ, 1767. in 8vo.

potest. Mihi tamen magis arridet sententia Cl. Ludovici Muratorii Lib. II. *de ingeniorum moderatione in Religionis negotio* cap. 2., ubi post multa de hoc argumento tradita ita concludit: *Si nobis optio detur, placidam, quam iracundam in refellendo errore facundiam sequi mallems. Placuit hæc aliis Patribus, & Augustino præsertim, qui cum aliis nominibus maxime sit commendandus, hoc ipso imprimis apud posteros spectabilem se fecit, quod certando cum hæreticis vel procacissimis nunquam mansuetudinem suam, atque verborum lenitatem, quamquam laceffitius maledictis, abjecerit.* Eademque placida scribendi ratione etiam S. Thomas magistrum suum Augustinum imitatus est (n).

XX. Hæc sunt præcipua, quæ in concertationibus polemicis desiderantur. Præterire autem non possumus, quæ de sua disputatione cum Millenariis narrat S. Dio-

Conclusio
dictorum.

B 2 nyfius

(n) Negari tamen non potest, esse aliquos errores, qui non melius, quam ridendo explodi possunt; ut enim monebat Cicero Lib. II. *de Oratore*, dicuntur sæpe etiam sententiose ridicula; & Horatius Lib. I. *Satyr. X.*

. . . . Ridiculum acri

Fortius, & melius magnas plerumque fecat

res.

nyfius apud Eusebium Hist. Eccles. Lib. VII. cap. 24. *Fratrum constantiam, inquit, & ardentissimum cognoscendæ veritatis studium, & docilitatem, atque intelligentiam magnopere sum admiratus. Adeo moderate, & ordine interrogationes, rationesque dubitandi, & assensiones a nobis fiebant; ac studiose quidem cavebamus, ne ea, quæ semel nobis placuissent, tametsi falsa esse deprehenderentur, pertinaciter defenderemus. Nec aliorum objectiones subterfugiebamus, sed quoad fieri poterat, ad ea, de quibus instituta erat disputatio, eniti, eaque stabilire conabamur. Sin autem rationibus convicti essemus, non pudebat nos mutare sententiam, & aliis assentiri; quin potius cum bona animi conscientia absque ulla simulatione expansis ad Deum cordibus quæcunque certissimis argumentis, & auctoritate S. Scripturæ confirmata essent, suscipiebamus. O utinam talis disputandi modus semper fuisset in Ecclesia servatus; aut saltem postliminio restitueretur!*

C A P U T III.

De varia Theologiam polemicam tractandi methodo.

XXI. **P**rimi nascentis Ecclesiæ Patres, qui contra Gentiles, atque Judæos veritatem Religionis christianæ strenue tutati sunt, nullam aliam methodum confestabantur, nisi ut pro re nata, & prout occasio se offerebat, adversariorum objectiones refellerent. Sic S. Justinus Martyr duplicem suam Apologiam adornavit contra Ethnicorum calumnias, & celebrem cum Tryphone Judæo dialogum conscripsit, ut Christum esse Messiam in lege promissum ostenderet. Cum autem temporibus sequentibus cresceret hostium numerus, pluribus quotidie erumpentibus hæresibus; SS. Patres eadem methodo utentes puritatem Religionis christianæ scriptis suis conservare satagebant; ita tamen, ut dogmaticam a polemica non separantes, una simul & sanctissima Religionis dogmata confirmarent, & contrarios errores solidissime profligarent. Id videre est fere in omnibus, præcipue autem in S. Augustino, qui in suis multis, &

Antiqua
Theologiæ
polem. metho-
dus.

22 *Prolegomena Theol. polem.*

variis operibus contra omnes pene Religionis nostræ hostes hæc methodo fortissime, felicissimeque pugnavit.

Quousque
servata?

XXII. Hæc etiam methodus perpetuo fuit a majoribus nostris servata, sive peculiare contra aliquos errores ederent tractatus, sive totam, qua late patet, Theologiam complecterentur. Immo vel ipsi heterodoxi bene multi eandem pugnandi rationem secuti sunt (o).

Hujus me-
thodi utili-
tates.

XXIII. Nec ista methodus sua utilitate caret. Imo enim nostræ Religionis dogmata ob oculos ponit, non quasi nuda, aut inermia, sed omni ex parte munita. 2do. veritas doctrinæ, de qua disputatur, facilius apparet, si una simul & suis fundamentis stabiliatur, & ab objectis difficultatibus vindicetur, ac demum falsitas antithesis luculenter ostendatur. 3tio fatendum est, in omnibus fere dogmatibus nonnullas occurrere difficultates adeo graves, ut plene ac cumulate enodari nequeant,

(o) Ut ex. gr. Joan. Gerhardus in *Locis theologicis*, Abrahamus Calovius in *Systemate locorum theologicorum*, & pluribus aliis operibus, quorum fecundissimus auctor fuit, Franc. Turretinus in *Compendio Theolog. Didaçico-elençicæ*, alii- que non pauci,

queant, nisi responsiones firmissimis nostrorum dogmatum fundamentis corroborentur.

XXIV. Verumtamen non multis ab hinc annis alia inventa est methodus, qua Theologia polemica ita a dogmatica discernitur, ut imo in dogmatica series doctrinae *systematica* servetur, in polemica autem attendatur potius series, & connectio doctrinae adversariorum; ac proinde istorum errores non sparsim & divisim, sed simul in toto eorum nexu proponantur & confutentur. 2do ut in dogmatica tantum solliciti simus de doctrina catholica rite exponenda, ac firmiter stabilienda; tota autem errores oppositos confutandi cura polemicæ reservetur.

Methodus
polemica
moderna.

XXV. Hæc etiam methodus relate ad nostra tempora, præclara habet comoda, atque illud præcipuum, quod nostrorum hostium errores omnes sub uno ponantur intuitu; atque hinc appareat, quodnam sit cujusvis sectæ systema, quænam capitalia, & characteristica ipsius dogmata, quænam aliorum sequela, & connectio ac denique quænam inter omnes diversitas. Accedit, quod ex hac principiorum connexionem, totiusque systematis complexione facilius possit adversario-

Nunc præcipuas habet utilitates.

24 *Prolegomena Theol. polem.*

rum mens intelligi, illorumque errores cognosci, ac proinde facilius, atque utilius confutari.

C A P U T IV.

De variis Theologiae polemicæ adjumentis.

Primum
polemicæ
adjumen-
tum ex
Theol.
dogm.

XXVI. **I**n hac secunda Theologiam polemicam tractandi methodo, quam sequimur, multa requiruntur adjumenta; atque illud imprimis, ut quæ in Theologia dogmatica tradita sunt, animo diligenter recolantur, tum ut facta collatione inter dogmata in ea demonstrata, atque errores oppositos, quos in hac Deo dante solide refutabimus, multo luculentius nostræ Religionis veritas appareat: tum etiam quia, si inconcussa nostræ fidei fundamenta semper præ oculis habeamus, multo facilius erit oppositorum errorum falsitatem deprehendere. Hinc perpetuo auditores ad dogmaticam opportunis locis remitemus.

Alterum ex
Hist. Eccl.
Patrologia
& Hist. litt.

XXVII. Alterum adjumentum discipulis pernecessarium erit recens eorum memoria, quæ in *Hist. Eccl.* de ortu, progressu, confutatione, ac condemnatione hæ-

hæresum, & schismatum, præcipue recentiorum, audierunt: tum etiam eorum, quæ in *Patrologia* de polemicis veterum Patrum operibus explicata sunt: ac denique multarum rerum, quæ ad historiam Theologiæ litterariam pertinent.

XXVIII. Tertio, ubi ad Judæos, & hæreticos varii generis confutandos ventum erit, præsto esse debebunt regulæ illæ, quæ in *Hermeneutica* tam veteris quam novi Testamenti expositæ sunt. Cum enim hæretici dogmaticas Ecclesiæ definitiones nauci faciant, nullus alius erit cum iis disputandi modus, nisi ut ex sacrae Scripturæ textibus, ad regulas Hermeneuticæ exactis, convincantur.

Tertium est Hermeneutica.

XXIX. Adhibebimus tamen, ubi opus erit, antiquam etiam Patrum traditionem, id a nostris adversariis merito postulantes, ut si eam tanquam alterum revelationis fontem agnoscere recusent, saltem tanquam optimam scripturæ interpretandæ regulam admittant; cum probabile nullatenus sit, primos Ecclesiæ fideles Apostolorum, aut apostolicorum Patrum discipulos a vero scripturarum sensu aberrasse; illorum autem sententiam ex traditione cognoscimus.

Addita etiam traditione.

Tum Logi-
cæ & Criti-
ces regulis.

XXX. Præter hæc omnia facile quis-
que videt, ut in omnibus aliis scientiis,
ita in Theol. polem. magnum esse Logi-
cæ, & sanioris Criticæ usum; cujus de-
fectu nonnunquam fit, ut disputationes in
meras convertantur garrulitates, & veri-
tas, quæ unice quæritur, spissioribus te-
nebris involvatur. Admirabile est S. Tho-
mæ opusculum XXXIX., ubi varias di-
sputationis species, & fallacias, quæ sæ-
pius contingunt, solita sua perspicuitate,
& præcisione explicat. Honoratus autem
a S. Maria egregias tradidit *animadver-
siones in regulas, & usum Critices* duo-
bus volum. comprehensas.

CAPUT POSTREMUM.

*De variis nostræ Religionis hostibus, ac
de modo cum iis utiliter disputandi.*

Primi ho-
stes infide-
les, & va-
riæ eorum
classes.

XXXI. **D**uo sunt quasi suprema veræ
Religionis hostium agmina,
quæ postea in varias iterum classes distin-
guuntur. Primum constituunt infideles
omnes a Religione Christiana alieni, sci-
licet *Athei*, Dei existentiam tollentes;
Epicurei, qui summam Dei providen-
tiam aut penitus negant, aut saltem immi-
nuunt,

nuunt; *Naturalistæ*, qui supernam Dei revelationem ad aniles fabulas amandant, sola religione, quam ipsi *naturalem* appellant, contenti; *Ethnici*, qui plures falsos Deos venerantur, verum autem ignorant; *Judei*, qui Christum ut Messiam in lege promissum pertinaciter confiteri detrectant; ac *Mahumetani*, qui mixtam nescio quam religionem ex ethnicismo, judaismo, & christianismo sibi efformarunt.

XXXII. Alterum nostrorum hostium agmen constituunt hæretici omnes, qui christiano nomine perperam gloriantes, Ecclesiam a Christo fundatam audire obstinate recusant. Porro isti in tam varia, & tam multa genera subdividuntur, ut difficile plane sit, omnia eorum nomina recensere, quæ a suis primis institutoribus plerumque fortiuntur: ita Sabelliani a Sabellio, Ariani ab Ario, Pelagiani a Pelagio, Lutherani a Luthero, Calviniani a Calvino dicti sunt; & sic de reliquis (p).

Alii hostes hæretici.

XXXIII.

(p) Catalogum hæresum post S. Philastrium dedit S. Epiphanius in *Panario*, & 80 jam sua ætate numerabat; octo autem supra 80 recenset S. Augustinus in *Lib. de hæresibus*, ubi tamen fatetur se nec omnes commemorasse, nec omnes nosse; concludebat autem, ad omnes illas

Et schis-
matici.

XXXIII. Tertium hostium agmen videri posset schismaticorum; sed cum isti plerumque schismati etiam hæreses adjungere soleant, facile possunt hæreticis adnumerari, ut ad diversum genus referri non debeant.

Quæ ratio
dimicandi
cum infide-
libus?

XXXIV. Porro non una est contra hos omnes dimicandi ratio; Athei enim, Epicurei, & Naturalistæ, qui nullam agnoscunt supernam revelationem, non nisi rationis, & sanæ philosophiæ argumentis convinci debent. Ethnicis autem ostendendum est, eam revelationem, quam ipsi jactant, falsam esse, & meram suorum legislatorum, ac sacrificulorum imposturam. Eadem fere ratione erit cum Mahumetanis agendum, detectis scilicet Pseudo-prophetæ Mahumetis fraudibus, & Alcorani absurditatibus. Judæi demum partim ex veteri, partim etiam ex novo Testamento refelli poterunt: ex veteri quidem, dilucide ostendendo, omnia futuri Messæ oracula fuisse in Christo adimpleta: ex novi autem Testamenti hi-

sto-

las vitandas satis esse scire, *Ecclēsiā contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere.* A tempore autem S. Augustini ad nos usque in immensum fere excrevit illarum numerus, ut videre est in pluribus recentioribus libris, qui historiam hæresum persecuti sunt.

istoria adigi poterunt ad ea agnoscenda Christi miracula, quibus ipse se verum esse Messiam in lege promissum luculentissime demonstravit.

XXXV. Multo facilius videretur, hæreticos, qui tam vetus, quam novum Testamentum, ut a Deo revelatum nobiscum adorant, ad sanam doctrinam revocare. Sed imo. in tot, ac tam varias sectas divisi sunt, ut opus diuturni laboris sit, singulorum errores exponere, & refellere. 2do. Tot etiam & tam varii eorum libri prodierunt, & tantæ factæ sunt in eorum erroribus mutationes, ut si vellemus cum omnibus singulari certamine congredi, nullus esset disputationum finis. Ut itaque res majori compendio, atque utilitate agatur, imo. præcipuarum duntaxat sectarum systemata exponemus, earumque imprimis, quæ nostris temporibus maxime vigent, de veteribus autem jam pene obsoletis, aut de novis, quæ obscuriores sunt, minus solliciti. 2do. Ea puncta potissimum examinabimus, in quibus aut omnes, aut fere omnes ab Ecclesia catholica dissidentes conveniunt. 3tio. Cujuslibet sectæ errores capitales majori diligentia convellere conabimur; his enim convulsis reliqui veluti sua sponte cadent.

Et quæ cum hæreticis?

XXXVI.

XXXVI. Quæ autem ratio sit, & quænam opportuniore media errantes ad viam veritatis, & diffidentes ad unitatem revocandi, in tertia Polemicæ parte pro virili nostra explicare conabimur; quæ res eo magis nostram operam desiderare videtur, quo totus pene Theologiæ polemiciæ fructus in ea continetur. Adsit conatibus nostris divini luminis gratia, ut quæ pro Religionis ipsius puritate, ac sanctitate tuenda, ac vindicanda suscipimus prælia, felicem habeant exitum; atque *soli sapienti Deo per Jesum Christum sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Rom. XVI. 27.

P A R S I.

In qua infidelium contra veram Religionem systemata exponuntur, & confutantur.

Magna
nunc incre-
dulorum
multitudo.

I. **V**eritati Religionis christianæ varii generis hostes contradicunt, Ethnici, Judæi, Mahumetani, sed maxime omnium increduli, utpote qui prima ejus fundamenta convellere nituntur. Horum impietas, nullo unquam tempore magis
graf-

grassata est, quam nostro, quo ingentem librorum colluviem contra Religionem quotidie prodire dolemus. Nota sunt, & per omnium ora volitant infausta nomina Hobbesii, Spinozæ, Tolandi, Bælii, Collinſii, Voolſthonii, Voltarii, Rouſſeavii, Helvetii, quos aperta fronte Deo bellum indicere non puduit. Sed major postea turba sequitur eorum, quos vel pœnarum timor, vel alia causa cohibuit, ne proprium nomen impiis suis opellis apponerent.

II. Nihil tamen sibi metuit Religio in tanta hostium multitudine, quamvis eorum aliqui & ingenio valeant, & elegantia phaleris, omnibusque ad fallendum artibus instructi appareant. Imo enim certo confidimus, Deum, qui eam jam tot sæculis & contra subtiles Philosophorum argutias, & contra perfidas hæreticorum machinationes, & contra superbas potentium minas puram semper, incontaminatamque servavit, in præſenti quoque discrimine eidem non defuturum.

Sed Religionem
tuetur
Deus.

III. Deinde si totum hunc incredulorum exercitum propius inspiciamus, eos ita inter se discordes inveniemus, ut non minus contra se ipsos, quam contra Religionem pugnent. Atheus nullum esse Deum vult, quem tamen prædicant Deistæ;

Et increduli inter se
pugnant.

stæ; quorum aliqui eum nostra curare affirmant, alii negant. His omnibus contradicunt Naturalistæ, & religionem adstruere conantur, sed non revelatam; qui rursus inter se digladiantur, hominis animum aliis corporeum esse definientibus, adeoque mortalem; aliis spiritualem esse fatentibus, immo & immortalem, non tamen immortalibus pœnis obnoxium. Longum autem esset de absurditatibus dicere, ineptiis, perpetuisque antilogiis, quibus eorum libros a capite ad calcem fcatere insignes Religionis hyperaspistes, Valsecchius, Gauchat, Bergerius, François, Richard, La Berthonye, alique non pauci catholici, præter multos ex acatholicorum cœtu ad oculum fere ostenderunt. Hæc interna, & mutua incredulorum pugna, eorumque perpetua inconstantia sanctæ Religionis defendendæ sufficere videretur; ut tamen res plenius agatur, cum singulis nostrâ methodo dimicare constituimus.

S E C T I O I.

Exponitur, quid sit Atheismus, & quænam ejus genera.

IV. **V**ox græca ἄθεος eum proprie significat, qui *sine Deo est*, Quid sit atheismus? seu Deum esse negat; minus autem proprie sumitur ad eos designandos, qui Deos fictitios colunt, ut Ephes. II. 12; tum etiam ad eos, qui verum Deum verbis confitentur, impiis autem factis negant, quique Athei *præctici* vocari solent.

V. Atheorum in sensu proprio variæ Et quotæplex? distinguuntur classes. Qui Deum non confitentur, quia de eo nihil unquam audierunt, Athei *negativi* dicuntur; quos tamen nullos esse eruditi bene multi opinantur. Qui Deum ab aliis admitti non ignorant, ipsi autem perfracte negant, Athei *positivi*, vel *dogmatici* appellantur. His tuto addi possunt ii Philosophi, ex quorum doctrina manifestus Atheismus aperte consequitur, quamquam nominatenus Deum confiteantur; quos inter præcipuum certe locum sibi vindicat Bened. Spinoza. Aliqui etiam sunt Athei, ut ita dicam, *fanatici*, & *enthusiastæ*, qui nullis certis rationibus ad Deum negant.

Gazzan. theol. pol. C gan-

gandum impelluntur, eum tamen credere, atque adorare nolunt, quia ipsum nec vident, nec sentiunt. Sunt demum alii, qui contrariis rationibus agitati, animo ancipiti fluctuant, sit nec ne Deus; & isti nominari possunt Athei *dubii*, vel etiam *sceptici*, aut *pyrrhonic*, cujusmodi fuisse dicitur Prothagoras apud Diog. Laertium Lib. IX. *de vitis Philosophorum*.

Atheorum
non ma-
gnus nume-
rus

VI. Porro non multos olim existisse, nec multos modo esse veri nominis Atheos, ex eo mihi facile persuadeo, quod rudes, & idiotæ in Religione educati de Dei existentia neganda, aut in dubium revocanda ne cogitare quidem videntur. Homines autem ingenio valentes, scientiisque exculsi mundum universum, ejusque partes considerare vix possunt, quin primam rerum omnium causam Deum statim agnoscant. Hinc quæ a nonnullis scriptoribus de innumera Atheorum multitudine referuntur, aut de Atheis latiore significatione (§. IV.) accipienda sunt, aut non facile credenda.

Sunt tamen
aliqui.

VII. Certum est tamen, fuisse omni fere ætate, & nostra etiam esse aliquos veri nominis atheos, in quorum numero recensere sine dubio possumus auctorem pestilentissimi libri, qui nuper prodiit

diit sub hoc titulo: *Système de la nature*; in eo enim non clam, & per cuniculos, ut in aliis plerumque fit, sed palam cum Religione Deus tollitur (q). Hinc apparet, quanta sit hoc primum Religionis fundamentum non obiter, & perfunctorie, sed accurate, diligenterque tractandi necessitas; ut dicere possimus cum Platone Lib. X. *de legibus: nisi sermones ii inter omnes, ut ita dicam, homines vulgati essent, nihil opus esset argumentis demonstrare esse Deum; nunc vero necesse est* (r).

C 2

CA-

(q) Solemne est incredulis nomine superstitionis abuti, ad veram Religionem eliminandam; sed auctor impiissimi hujus libri non in superstitionem, sed in ipsam Religionem tanquam causam omnium, quæ in mundo sunt, malorum acerrime invehitur, atque in Deum ipsum tanquam in figmentum, unde totius generis humani depravatio dimanavit. Sed de hujus auctoris atheismo inferius agemus.

(r) Atheorum calculum inire haud facile est. Multos fuisse hujus impietatis perperam & calumniose acufatos non dubito, sed suspicari etiam possumus, multos ad atheismum exterius profitendum supplicii timore tardiores effectos, quod olim observavit Cicero Lib. I. *de natura Deorum*. Hæc de nonnullis veteribus Philosophis suspicio orta est, imprimis autem de Epicuro, de quo hæc habet Posidonius apud Ciceronem libr. cit. *Nullos esse Deos Epicuro videri, quæ-*
que.

C A P U T I.

Exponuntur, & refutantur varia Atheorum systemata.

Quid Athei senti-
ant de Cof-
mogonia?

VIII: **C**um in *Theologia dogmatica* P. II. multa, eaque invicta allata sint argumenta, quibus Dei existentia fatis confirmata videtur, modo nihil nobis agendum restat, nisi Atheorum systemata con-
vel-

*que is de Diis immortalibus dixerit, invidia detestandæ gratia dixisse. Eum tamen ab atheismo purgant Petrus Gassendus de vita & moribus Epicuri Lib. IV. cap. 3., & post multos alios Jac. Bruckerus in Hist. Critica Philosophiæ Tom. I, ubi etiam sedulo inquirat de atheismo Anaximandri, Anaximenis, Anaxagoræ, Theodori, Euemeri, Bionis Borysthenitis, Stiponnis, Platonis, Clitomachi, Aristotelis, Stratonis, Stoicorum, Aristonis Chii, Chrisippi, Pythagoræ, Empedoclis, Ocelli Lucani, Parmenidis, Melissi, & Diagoræ Melii. Multa hac in re cautione opus esse quisque videt, tum ne infamis hæc nota innocentibus irrogetur; tum etiam ne Atheis de multorum societate gloriandi ansa præbeatur. Hinc omnium indignatione exceptus est inficetus ille Jo. Harduini liber, cui titulus: *Athei detestati*, in Atheis stulte recensens Corn. Jansenium, Andr. Martinum, Lud. Thomassinum, Franc. Malebranchium, Paschasium Quæsnellum, Ant. Arnaldum, Petr. Nicolium, Blasium Pascaliū, Ren. Cartesium, Ant. Grandium, & Sylv. Regium.*

vellere, ac nonnullas, quas nobis ob-
ciunt, difficultates enodare. Quando
ergo coguntur Athei exponere, quomodo
sine Deo creatore hæc pulcherrima, at-
que ordinatissima mundi machina prodie-
rit, in diversas statim distrahuntur sen-
tentias, ut facile appareat, eos insupera-
bilibus angustiis undique premi.

IX. Sunt, qui nodum se facile secare
putant, fidenter asserendo, mundum, qua-
lis nunc est, semper & ab æterno exti-
tisse; ac varias tantummodo factas esse
modo minores, modo majores, & modo
generales ejusdem revolutiones, ac mu-
tationes (t).

Allqui ad
mundi æ-
ternitatem
confugiunt.

C 3

X.

(t) Non pauci etiam inter Judæos, ipsosque Chri-
stianos mundi æternitatem crediderunt. Notæ
sunt Rabbinorum fabulæ de mundorum sibi
succeedentium pluralitate apud Maimonidem in
More Nevochim P. II. cap. 30. Hujus etiam er-
roris accusatur Origenes, de quo consulti potest
Huetius in *Origenianis* Lib. II. Quæst. 12. Hi
tamen omnes mundum a Deo conditum confi-
tebantur. Pejus delirarunt veteres quidam
Philosophi, ad quorum mentem ita olim de
mundo canebat Marcus Manilius in *Astronomico*
Lib. I.

*Quem sive ex nullis repetentem semina rebus
Natali quoque egere placet, semperque fuisse
Et fore, principio pariter, fatoque carentem.*
Istorum deliria conatus est fuscitare auctor im-
pii operis *de l'eternité du monde*, qui Boulan-
gerus

Difficultatem tamen non tollunt,

X. Sed illico quisque advertit, difficultatem hac ratione longius quidem removeri, ut ab oculis imperitorum evanescat, non autem tolli. Semper enim quæretur, quomodo hoc universum sine ullo creatore, sive in tempore, sive ab æterno formari potuerit; cum in eo nulla appareat causa intrinseca & sufficiens sui esse; & cum necessarium absolute, & omni modo non sit. Hinc antiqui nonnulli Philosophi æternitatem quidem mundi ponebant, eum tamen a Deo creatum esse fatebantur; quemadmodum Daniel Huetius Libr. I. *Quest. alnetanarum* cap. 5. erudite ostendit. Horum sententiam sic S. Augustinus Lib. X. *de Civit. Dei* cap. 31. exponit: *sicut si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper subesset vestigium, quod a calcante factum nemo dubitaret; sic & mundus semper fuit, semper existente, qui fecit* (u).

XI.

gerus putatur. De absurda hac cum veterum, tum recentiorum opinione dignus est, qui legitur S. Augustinus Lib. XII. *de civit. Dei* cap. 16., ubi expositis illorum de mundi innovatione hypothesibus bene concludit: *dicunt autem, quod putant, non quod sciunt.*

(u) Ceterum novitatem hujus mundi plures etiam ethnici Philosophi perspectam habuerunt, ut vide-

XI. Mundi æternitatem rejicit familia Leucippi, ac Democriti, cui Epicurus etiam adhæsit, ac materiam solam æternam ponit, eamque in minutissimas atomos figuræ variæ, ac diversæ dissectam, quæ perpetuo motu ab æterno agitatæ temerario, ac cæco concursu totum hoc universum, immo innumeros alios mundos efformaverint. Hoc autem nec impossibile, neque incredibile esse hoc exemplo ostendi potest. Si alphabeti literæ infinities agitentur, fieri tandem posse concipimus, ut in Virgilio, aut Ho-

Epicureorum systema de origine mundi.

C 4

me-

videre est apud Macrobiū Lib. II. in *Somnium Scipionis* cap. IO., eamque luculenter demonstrarunt. Immo non desunt, qui impossibilem plane putent mundi æternitatem, ita ut nihil præter Deum æternum esse queat. Hinc seculo Ecclesiæ IV. SS. Patres, ex quo Verbum semper fuerit, inferebant contra Arianos, illud esse verum Deum; & synodus Nicæna ita pariter colligebat: *Quicumque dicit, Filium esse creaturam, dicit eum cœpisse.* Etiam S. Thomas I. P. Quæst. XLVI. art. I, ubi quærit, *utrum universitas creaturarum semper fuerit*, respondet: *nihil potest præter Deum ab æterno fuisse* (ita enim habent meliores editiones). Hac de re plura dabunt Dion. Petavius Lib. III. de *Deo* cap. 5, Guillelmus Estius in *Librum II. sentent.* dist. I. §. II., François *Preuves de la Religion* P. II. chap. 2. sect. 2. art. 2., & P. Thomas Vine. Moniglia in *Dissert. contra Materialistas, aliosque Incredulos* Tom. I. P. I. sect. I. §. 7. & sequ.

meri carmen conficiendum casu coalescant, rei difficultate ab infinitis litterarum combinationibus superata; sic post infinitas atomorum combinationes, & dissolutiones neque impossibile, neque inverisimile esse, ut speciosissima hæc mundi facies tandem prodierit. Sane Philosophi Cartesiani ad mundi conformationem nihil aliud, quam materiam, & motum requirunt; unde illud apud ipsos effatum: *date mihi materiam cum motu, & mundum efficiam.* Hac ratione ex atomis, & motu Leucippus cum suis non unum solum, sed innumerabiles plane mundos effectos fuisse fingebat (x).

Facile refutatur, quia casus nihil est.

XII. Verumtamen hoc totum atomisticæ Philosophiæ systema, quo veluti ex immani pulveris cumulo ventis agitato innumerabiles mundos confectos fuisse fingitur, adeo absurdum aliis Philosophis visum est, ut illud non tam refutandum, quam irridendum esse censerent. Cur enim ut scite observabat Cicero Lib. II. *de Nat. Deor.* potuerunt atomi totum hoc uni-

(x) Si quis accuratam totius Physiologiæ Epicuri notitiam desiderat, adeat Jac. Bruckerum in *Hist. Crit. Philos.* Tom. I. p. 1259., quo nemo accuratius inter recentiores eam exposuisse videtur.

universum cæco, ac temerario concursu olim componere, modo autem non porticum, non domum, aut templum, aut quodvis aliud possunt efficere? Nempe casus nihil in re est; & propterea Epicurei mundum casu formatum esse dicentes, eum a nulla causa, seu ex nihilo factum fuisse consequenter ponebant, contra illud ipsorum principium: *ex nihilo nihil*.

XIII. Præterea tota hujus systematis basis est materia æterna, & increata; at vero quod increatum, & a se est, illud etiam infinite perfectum, & immensum sit oportet, cum nullâ sit causa, a qua dependeat, & a qua limites ejus perfectioni, atque extensioni poni queant: materiam autem infinite perfectam, atque in immensum extensam esse, nemo somnabit (y).

Et quia materia increata esse non potest.

XIV. Altera hujus systematis basis est, atomos ingenito motu agitatae in combinationes infinitas, easque informes sæpius coaluisse, donec hæc ordinatissima coagmentatio prodiret. At vero motum esse

Nec motum habere ingenitum.

C 5

mate-

(y) Hoc invictò argumento utitur P. Thomas Vinc. Moniglia in Dissert. *contra Materialistas* Tom. I. pluribus in locis; & recoli etiam possunt, quæ in *Theol. dogm.* P. II. §. 2. dicta sunt.

42 *Expon. & refut. var. atheor. syst.*

materiae ingenitum nemo Physicus dixerit, cum materiam ad motum, vel quietem indifferentem prorsus esse, experientia doceat. Ulterius atomis in hac hypothese ingenium quoddam, & quidem prudentissimum tribuitur; ut nempe postquam fuerint saepissime informiter conglutinatae, semper dissolventur, donec tandem pulcherrima illa combinatio prodiret, quae modo conspicitur; atque hac posita non amplius disjungantur, ne tam praeciarum opus in pristinum chaos revertatur; quae omnia somniantis potius sunt, quam philosophantis. Et mirum certe est, in tanta saeculi nostri luce ab Helvetio in impio suo libro *de l'esprit* disc. III. ch. 9., aliisque nuperis Pseudo-philosophis hoc poeticum figmentum fuisse adoptatum.

Animus hominum ex atomis constari non potuit.

XV. Ad haec, quidquid sit de rerum corporearum mixtione, illud plus quam certum est, animum hominis intelligendi, & volendi vi praeditum in possibilibus materiae partium combinationibus minime contineri; ut enim agebat Cicero Lib. I. *Tuscul. Quaest.* cap. 27., *animorum nulla in terris origo inveniri potest, nihil est enim in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum,*
at.

atque fictum esse videatur ; nihil ne humidum quidem , aut stabile , aut igneum ; his enim in naturis nihil inest , quod vim memoriæ , mentis , cogitationis habeat ; quod & præterita teneat , & futura prævideat , & complecti possit præsentia : quæ sola divina sunt , nec invenietur unquam , unde ad hominem venire possint , nisi a Deo. Quæ verba etiam a Lactantio afferuntur de ira Dei cap. 10.

XVI. Nec Cartesiani , qui admirabilem hujus mundi fabricam ex solis motus legibus repeti posse putarunt , in eam unquam amentiam delapsi sunt , ut effutirent , etiam animos hominum rationis , & libertatis compotes , ex varia materiæ combinatione compingi posse. Immo & materiam a Deo conditam credunt , & ipsius motum , motusque leges ex sapientissimi conditoris voluntate repetunt , & insuper causam rerum efficientem requirunt , solo casu minime contenti.

Hoc Cartesiani quoque fatentur.

XVII. Quamquam eos quoque libenter provocarem , ut cum materia , & motu , non dico mundum , sed aliquod minutissimum insectum , aut virgultum conficerent. Sane Malebranchius magni inter Cartesianos nominis *Medit.* VII. ingenue fatetur , corpora organica solis legibus

Etiam in corporibus organicis.

44 *Expon. & refut. var. atheor. syst.*

bus motus compingi minime potuisse; ut intolerabilis proinde sit auctoris *systematis naturæ* audacia, qui obsoletam jam Lucretii absurditatem suscitare non est veritus, animam scilicet

Esse hominis partem, nihilo minus ac manus, & pes,

Atque oculi partes animalis totius existant (z).

Exponitur
syst. ma
Stratonis.

XVIII. Rejeto jam Atomistarum systemate, ad quod Athei sæpius confugere solent in Cosmogonia explicanda, breviter de tribus aliis dicendum est, quibus mundi origo sine Deo auctore exponitur. Primum est Stratonis Lampfaceni, quem Cicero Lib. IV. *Quæst. Acad.* cap. 38. ajebat, *negasse opera Deorum se uti ad fabricandum mundum.* Is exploso fortuito atomorum concursu singulis materiæ par-

-
- (z) Titus Lucretius Carus Atomistarum systema eleganti carmine exornavit in *sex libris de rerum natura*, quos confutavit Melchior Card. de Polignac in *Antilucretio*, sive libris novem *de Deo & natura*: elegantia Lucretium fere adæquavit, veritate autem multum superavit, ut vere de se canere potuerit:

Eloquio victi re vincimus ipsa.

Præiverant tamen illi in hac sparta Scipio Capycius in duobus libris *de principiis rerum*, Antonius Palearius, & nonnulli alii.

partibus certam quandam vim inclusam esse volebat, cujus ope quælibet earum in formas sibi convenientes se aptare, & convertere possit, etiamsi quid faciat, ipsa ignoret. Hinc hujus systematis patroni dicti sunt *Hylozoitæ*, quod ὕλη, seu materiæ vitam nescio quam tribuerent (a).

Systema
Hylopathi-
corum.

XIX. Ab istorum autem non minus quam ab Atomistarum sententia recedebant alii Philosophi, dicti *Hylopathici*, contendentes, neque materiam esse in atomos infinite dissecandam, ut postea iterum coagmentetur, nec illi aliquam vim, aut vitam competere, sed inertem, & stupidam esse; in ea tamen omnes rerum formas, & qualitates delitescere somniabant, ex quarum temeraria, & fortuita educatione universum hoc primo prodierit, & semper conservetur. Insulsa hæc impietas Anaximandro tribuitur, quem secuti

(a) De Stratone hæc pauca habet Lactantius *de ira Dei* cap. 10. *naturam, ait Straton, habere in se vim gignendi, & minuendi, sed eam nec sensum habere ullum, nec figuram; ut intelligamus, omnia quasi sua sponte esse generata, nullo artifice, nec auctore.* Nec multa inveniuntur apud veteres, quæ Stratonis mentem magis illustrent. Videri de eò possunt Jac. Bruckerus in *Hist. critica Philosophiæ* P. II. Lib. II. cap. 7. Sect. 2., & Frid. Philipp. Schlosserus in *Dissert. de Hylozoismo Stratonis.*

46 *Expon. & refut. var. atheor. Syst.*

cuti sunt Hippo cognomine *Atheus*, Anaximenes, Diogenes Apolloniates, alique Deorum contemptores.

Systema
Stoicorum.

XX. Quartum denique systema, quo mundi origo sine Dei opificio statuitur, Stoicorum est, quorum aliqui Dei nomine non nisi naturam intelligebant; ipsique naturæ vim nescio quam *genitricem*, & *plasticam* tribuebant, qua rerum omnium semina in ejusdem naturæ sinu conclusa evolvere posset, unde omnia mundi entia efformentur. Hanc sententiam ita describit Seneca Lib. III. *Nat. Quest.* cap. 29.: *ut in semine omnis futuri ratio hominis comprehensa est, & legem barbæ, & canorum nondum natus infans habet; totius enim corporis, & sequentis ætatis in parvo, occultoque lineamenta sunt: sic origo mundi non minus solem, & lunam, & vires syderum, & animalium ortus, quam quibus mutarentur terrena, continuit.*

Omnia inter se pugnant.

XXI. Hæ sunt omnes hypotheses, quibus hætenus ii usi sunt, qui Deum mundi hujus auctorem esse impie denegarunt (b). Facile autem foret, eas omnes
vel

(b) Inde tamen nemo inferat, omnes illos Philosophos, qui eas invenerunt, vel adoptarunt, fuisse

vel ex hoc solo refellere, quod secum invicem ita pugnent, ut una tollatur ab altera.

XXII. Sed præterea in his omnibus systematibus ille capitalis est error, quod imo materia ponatur æterna, & ingenta. 2do. Quod sine ulla causa efficiente aspectabilis hæc universi forma ex illa prodierit; quem errorem in Atomistis superius jam refutavimus (§. XII. & seq.). Unde etiam Plutarchus Lib. I. *de placitis Philosophorum* cap. 3. de Anaximandro loquens, illum in eo peccare dicebat, *quod materiam unice prædicans, causam effectricem auferret.* Nec minus absurdum

Error omnium capitalis.

fuisse atheos; plusquam enim certum est, plerisque eorum exterius saltem Deum prædicasse; qua de re, quemadmodum etiam de allatis eorum systematibus fusius, ut solet, agit Radulphus Cudworthus in *system. intellectuali hujus universi* cap. 3. Operæ autem pretium non duximus, insulsam juxta ac paradoxum Norberti Fludd, seu de Fluddibus inventum exponere, ac refutare, quod ad impietatem, & atheismum ducere post Petr. Gassendum in *examine Philosophiæ Fluddanæ* a plerisque observatum est. Is Sec. superiore duo continxit rerum omnium principia, lucem, & tenebras; ex luce nata esse animalia quæque, ex tenebris autem cetera vitæ expertia. Hæc autem opinio nec multos habuit affectas, nec diu fuit suo auctori superstes.

dum esse motum materiæ ingenitum supra pariter demonstratum est (§. XIV.).

Confutatur alia ratione.

XXIII. Accedit, imperceptibile prorsus esse, ex hac materia, vel plane stupida, ut eam *Hylopathici* fatebantur, vel vitalis quidem virtutis, atque energiæ cuiusdam compote, cognitionis tamen, atque intelligentiæ experte, ut eam *Stoici* & *Hylozoitæ* fingeant, hominem etiam formatum fuisse, cujus tanta est intelligendi, ac libere volendi vis, & præstantia, ut effectus excellentia virtutem causæ infinite pene superare deberet. Ac denique omnia ista systemata meris hypothesebus male inter se connexis, immo verius dixerim, figmentis, & somniis sine ullo prorsus fundamento innituntur, ut eodem jure, quo invehuntur, explodi etiam possint.

Refellitur nuperus atheismi instaurator.

XXIV. Conatus est quidem nuperus quidam auctor aliquam iis veri speciem conciliare, non alia tamen ratione, quam quia ignota nobis est materiæ natura, ignotæ vires, & etiam ignotum, an præter corpus, & spiritum alia sint entia, quæ nemo hæctenus detegere, aut suspicari potuit. Frustra tamen ab hujusmodi ignorantiae tenebris patrocinium atheismo quaeritur. Quidquid enim sit de entibus, vel pro-

proprietatibus materiæ nobis ignotis, illud semper recurrit invictissimum argumentum, materiam finitam, & limitatam a se ipsa esse non potuisse (§. XII.). *Qui se a Deo averterunt, atque animo obcæcati sunt, mentem agitatam, ac vacillantem habent, & res, quæ nullæ sunt, tanquam qui sunt ebrii, & nihil vident, cogitatione fingunt,* inquebat apposite S. Athanasius in *Orat. contra Gentes* n. 23. (c).

C A P U T II.

Precipue Atheorum difficultates proponuntur, & enodantur.

XXV. **A**thei potius destruere, quam Prima difficultas ex idea Dei, quæ nulla esse potest. ædificare amant; nulla enim fere momenta afferunt, quibus proprium systema confirmet, multas autem difficultates objiciunt, ut nostrum subruant.

Pri-

-
- c) Prodiit Londini liber anonymus in 8vo. 1751. cujus titulus: *Reflexions critiques sur divers sujets*, in quo præter antiquas Atheorum crambes, hujusmodi dubia de ignotis materiæ viribus excitantur. Ipsi argumenta confutavit doctissimus P. Antoninus Valsecchi de *fundam. Relig.* Tom. I. cap. 3. §. 13., & post ipsum P. Jordanus Simon Lib. I. de *Relig.* cap. 7. §. 5.

Gazzan. Theol. polem. D

Prima ex eo repetitur, quod nulla Dei in nobis esse possit idea; cum enim ideæ nostræ a sensibus orientur, infinitus autem spiritus, cujusmodi Deus esse dicitur, in sensus non cadat, nulla Dei idea esse potest: id vero, cujus nulla est idea, nihil est. Accedit, Deum, prout a nobis describi solet, aggregatum esse perfectionum sibi invicem repugnantium; dicitur enim *sui ipsius principium, & finis, utroque carens, neutrius egens, utriusque parens, & auctor: regnat ubique sine loco, immobilis absque statu, pernix sine motu: sine qualitate bonus, magnus sine quantitate, totus sine partibus, &c.*; ut nulla unquam fuerit chimæra similis a poëtis, vel somniantibus conficta. Veteres has Atheorum nænias iterum in scenam revocavit auctor *systematis naturæ* P. II. cap. 3. contendens, *Theologos ex iis attributis, quæ naturam constituunt, personam Dei effinxisse; eique postea aliquas proprietates tribuisse, quæ negativæ tantummodo sunt, ut infinitas, immaterialitas, immortalitas, immutabilitas, &c.*

Aut contra-
dictoria est.

Habemus
ideam Dei,
sed imper-
fectam.

XXVI. At vero fatemur quidem, & fatentur omnes, nullam claram, distinctam, & adæquatam notionem rei infinitæ nobis inesse;

esse; unde consequitur, non posse nos veram Dei imaginem, prout Deus ipse in se est, in nobis efformare: male tamen inde colligunt Athei, nos nullam prorsus habere Dei notionem, ut nulla est rei non existentis notio. Cognoscimus, Deum esse ens incorporeum ab hac rerum universitate diversum, a se existens, & infinite perfectum, licet non omnes ejus perfectiones, multoque minus ejus essentiam intellectu comprehendere possimus; unde sequitur, nos cognoscere Deum, sed imperfecte solum, & inadæquate. Quemadmodum quis recte affirmaret, se intueri cælum, quamvis totam cœli latitudinem oculis complecti non valeat. Id posset etiam adversariorum sententia illustrari, qui mundum, aut materiam a tota æternitate existisse comminiscuntur; fateri autem debent, se æternitatis claram, distinctamque notionem non habere, sicut nos non nisi imperfectam, ac limitatam Dei notitiam habemus.

XXVII. Aliud autem levius est, merasque continet non rerum, sed verborum tantum contradictiones, quas quilibet Logicæ minime ignarus facillime solvet. Neque verum est, omnia Dei attributa esse negativa, ut in *Theol. dogmat.* P. II.

Minime autem repugnantem.

cap. 6. observatum est. Has autem proprietates divinas *naturæ* tribui posse, ut ineptissime auctor *systematis* innuit, tam falsum est, quam quod maxime. Immo quia *natura* nec dici, nec esse potest *ens a se*, immensum, & infinite perfectum, nos recte colligimus, esse Deum *naturæ* conditorem, & conservatorem.

Altera ob-
jectio jam
præoccupata.

XXVIII. Altera est, quam maxime Athei urgere solent, difficultas a rerum creatione petita, quam non solum imperceptibilem, sed plane impossibilem esse dicunt, utpote illi vulgatissimo axiomati contrariam: *ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti*. Sed illa præoccupata jam fuit in *Theol. dogm.* P. IV. cap. 1. §. 13. & seq.; & legi etiam posset, præter multos alios, P. Thomas Vinc. Moniglia in *Differt. contra Materialistas* Tom. I.

Importunis
Atheorum
quæstioni-
bus satisfat.

XXIX. Nonnullis tamen, quibus nos pulsant, quæstionibus breviter faciendum est satis. Urgent enim cum Epicureis, an Deus mundum creaverit propter se, an propter nos? Non propter se, alias antequam mundum conderet, aliquid ei defuisset ad plenam felicitatem. Non propter homines; tum quia maxima eorum pars improba & mala, id non merebatur;

batur; tum etiam quia pauci illi boni, quorum gratia Deus fortasse mundum creare voluit, tot, tantisque obruuntur ærumnis, ut melius plerisque esset, nunquam extitisse. Quærere etiam solent, quidnam Deo causæ fuerit, ut mundi ædificator repente extiterit, innumerabilia ante secula dormierit? Ac demum ubinam Deus fuerit ante mundum, cum spatium esset nullum? (d)

XXX. Primæ interrogationi resp., finem divinæ voluntatis, ex qua res in esse processerunt, non aliud esse posse, quam Dei ipsius bonitatem. Voluit ergo Deus mundum creare propter suam bonitatem, ut eam etiam ad extra communicaret, non autem propter suam utilitatem, quia creaturis non indiget, nec ab illis dependet. Quod autem permittat, homines bonos affligi a malis, & tam multas ac varias ærumnas pati, res est altioris indaginis, de qua in Theol. dogmat. plura dicta sunt P. II. §. 60. & seq.

Finis creationis mundi est divina bonitas.

D 3

XXXI.

(d) Hæc, & similia opponebat Vellejus Epicureus apud Ciceronem Lib. I. *de Nat. Deor.*, & repetuntur etiam a nostri ævi pseudophilosophis, ut videre est in *litteris Persicis* epist. 99., quarum impletatem detexit auctor libelli *les lettres Persanes convaincues d'impiété.*

Creavit autem simul cum tempore, & spatio.

XXXI. Frustra autem quæritur, cur Deus certo quodam temporis puncto, non citius, aut ferius voluerit mundum creare; hoc enim ab ejus voluntate unice repeti potest; quamquam in æternitate, quæ mundum præcessit, nec prius est, aut posterius, nec citius, aut ferius; hæc enim in tempore solum locum habent, quod simul cum mundo conditum est. Idipsum etiam dicendum de loco, & spatio, quod pariter simul cum mundo incepit; quamobrem ante mundum Deus *neque in loco erat, neque in tempore, sed ante hæc, & supra hæc inenarrabili quadam ratione.* Ita respondebat olim Eunomio S. Gregorius Nyssenus Lib. I. adv. eundem Eunomium.

Objeçtio
Atheorum
contra com-
munem de
Dei exi-
stentia con-
sensum.

XXXII. Quotiescunque Atheis illud momentum proponitur ex universalium omnium pene hominum consensu depromptum, quod ad Dei existentiam evincendam plurimum certe valet (e), cum hunc minime inficiari possint, eo devolvuntur, ut fingant universalem hanc alicujus supremi
Nu-

(e) Videatur *Theol. dogmat.* Cap. I. §. 6., & *Prælectiones* P. Gazzaniga Tom. I. dissert. 1. cap. 2. propof. 4.; ubi etiam auctores citantur, qui hoc argumentum maxime illustrarunt.

Numinis persuasionem fuisse a Politicis primo invec̄tam; post autem pueris simul cum lacte nutricis instillatam; itaque communem fuisse factam. Porro neminem latet, omnibus fere legislatoribus consuetum fuisse, ut se cum Diis colloquia habere mentirentur. Sic Numa nocturnos cum Dea Egeria congressus fingebat; Lycurgus Apollinis delphici oracula jactabat; Mahumedes etiam se vatem Dei prædicabat; ut nihil dicamus de Moyse, quem ceteris impostoribus adjungere videtur Tolandus. Addit Lucretius, ex terræ motibus, tempestatibus, ac fulminibus fuisse homines ad Dei existentiam credendam inductos; quod scilicet horum phænomenorum naturalem causam ignorantes, supernaturalem sibi confinxerint; unde celebre illud Poetæ: *Primus in orbe Deos fecit timor* (f).

D 4 XXXIII.

(f) Ita Petronius in *Fragmentis*, & ante eum Statius Lib. III. *Thebaidos*. Hoc autem argumento usi sunt inter veteres Sextus Empiricus Lib. VIII. *advers. Mathematicos*, & Seneca Lib. II. *Quæst. natural.* cap. 42., aliique, quorum testimonia collegit Bælius *Pensées sur les comètes*. Impius Spinoza in *Tract. theologico-politico* cap. 5. impostorum numero Moysen accensere non est veritus: verba autem Tolandi

Dei exi-
stentia a
Legislato-
ribus non
conficta.

XXXIII. Verumtamen nihil dici potest magis a veritate alienum, quam a Legislatoribus, & a Politicis fuisse primum Dei existentiam confictam; tum quia Dei cognitio apud eas etiam efferatas nationes viget, quæ nullis coercentur legibus; tum etiam quia, ut recte Lactantius observat *de ira Dei* cap. 10, quomodo potuissent isti, utut vaferrimi, *non tantum indoctos, sed Platonem quoque, ac Socratem fallere, & Pythagoram, Zenonem, Aristotelem maximarum sectarum principes tam facile deludere?* Legislatorum autem impostura de colloquiis cum Diis potius probat, communem jam fuisse hominum persuasionem, esse Deos, qui humana curarent; hac autem veritate eos callide abufos fuisse, ut se Deorum legatos mentirentur. Cave tamen, ne impostorum numero Moysen, aut Christum accenseas, qui maximis, certissimisque miraculis legationis suæ quasi divina sigilla ostenderunt.

XXXIV.

di in *Adeisidæmone* Lib. 16. §. 5. hæc sunt: *His, atque similibus* (Numæ Pompilio, Lycurgo, & Minol) *Moysen Hebræorum nomothetam assimilare non addubitat Diodorus Siculus Lib. I. sed in hac Moysis cum aliis Prophetis, & Legislatoribus comparatione multo adhuc copiosior est Strabo geographus.*

XXXIV. Quod additum proftremo loco est de cognitione Dei a timore, & caufarum ignorantia invefta vix refponfionem meretur. Prius enim hominibus perfuaderi debebat, Deum effe, deinde terram concutere, tonare in cœlo, ac fulmina vibrare. Ulterius fi ex hoc timore, & caufarum ignorantia Dei opinio orta est, eccur ea ipfa non fuit poftea eliminata, quando Philofophi melioribus ævis naturales horum phænomenorum caufas detexerunt? Contra autem videmus, illam femper magis ac magis fuiſſe roboratam, fruſtraque impios niti, ut eam ſuis cavillationibus convellant. Nimirum *opinionum commenta delet dies, nature judicia confirmat*, ut olim agebat Cicero. Multo itaque credibilius eſt, communem hanc Dei exiſtentiaẽ perſuaſionem ex antiqua traditione deſcendere, ab Adam primum, deinde a Noë, qui ſecundus humani generis parens dici poteſt; & quidem puram, atque ab omni errore defæcatam, ſed poſtea artibus dæmonum in ſuperſtitionem, & idololatriam degeneraſſe. Hanc eandem communem perſuaſionem Philofophi poſtea ſuis ratiociniis, ac demonſtrationibus confirmarunt;

Nec timore
inveſta.

quamquam etiam apud barbaros invenitur,
ubi nulli sunt Philosophi.

C A P U T III.

Exponitur, & refellitur atheismus Pantheisticus, & Spinozisticus.

Quid sit
Pantheis-
mus?

XXXV. **P**antheistæ sunt, qui res omnes hujus universi nihil aliud esse putant, quam emanationes a Deo, ac propterea divinam naturam ab hac rerum universitate non distinguunt. Si quis allata superius Hylozoitarum, Hylopathicorum, & Stoicorum systemata (§. XVIII. & seq.) attente consideret, facile videbit, ea in Pantheismum desinere, præcipue autem Stoicorum, quorum illud erat effatum: *Jupiter est, quodcunque vides, quodcunque movetur.* Immo recte observavit Eusebius *de Preparatione Evangel.* universam ethnicam Theologiam fuisse Pantheismo infectam. Fatendum est tamen, omnes fere veteres Pantheistas a Numinis supremi existentia confitenda non fuisse alienos, quamquam defectu supernæ revelationis, sanæque Philosophiæ falsam, & absurdam ejusdem notionem haberent. Propterea in iis confutandis operam nostram non insumemus.

XXXVI.

XXXVI. Accurate potius, omnique studio exponemus, & confutabimus impium Bened. Spinozæ systema, qui & Pantheismum, & Atheismum apertissime professus est. Is ex Judæis parentibus natus est an. 1632, post autem una cum judaicis superstitionibus religionem omnem exuit, atque impietatis suæ specimina primo edidit in *Tractatu theologico-politico*, quem ἀνονόμως publici juris fecit an. 1670. Sed detracta omni larva Atheismum postea professus est in *Ethica more geometrico demonstrata*, quæ una cum aliis ejus operibus posthumis Amstelodami prodiit an. 1677. Et quamvis hic auctor adeo obscurus sit, ut non minus quam Heraclitus σκορνός appellari queat, vix tamen dici potest, quantum tota incredulorum cohors sibi de hoc opere plauserit, quasi Atheismus fuerit tandem methodo geometrica demonstratus. Cum autem impii hominis ineptiæ, fallaciæ, ac blasphemiæ patefiant, ipsius affectas respondere non pudet, neminem magistri sui mentem assequi (g), quasi
my-

Quis Bened. Spinoza, & quodnam ejus systema?

(g) Scite observavit Bælius art. Spinoza rem. DD. nullam meliorem ipsis suppetere responsonem. Sed illud, reponi posset, quod Epicureis olim

mysterium hoc solis Spinozismo initiatis sit referatum, ceteris omnibus, utut acutissimis absconditum.

Unicam
vult esse
substan-
tiam, quam
Deum no-
minat.

XXXVII. Præstat igitur hujus impiis-
simi hominis systema diligenter exponere.
Ac primo quidem Deum verbis sæpius
confitetur, Dei tamen nomine nonnisi ma-
teriam intelligit, quam cum Deo confundit;
quamobrem in Eth. P. I. prop. 18. statuit,
*Deum esse omnium rerum causam imma-
nentem, non transeuntem.* Hinc proba-
re nititur, nonnisi unicam esse in hoc
mundo substantiam, quam Deum nominat,
eam infinitis esse perfectionibus, & at-
tributis præditam, potissimum vero ex-
tensione, & cogitatione, omnia autem
entia non esse, nisi hujus divinæ substan-
tiæ modificationes.

Substantiæ
definitio a
Spinoza
tradita.

XXXVIII. Ut autem id methodo
quadam geometrica evincat, primo hanc
substantiæ definitionem præmittit P. I.
defin. 3. *per substantiam intelligo id,
quod*

reponerat Cicero Lib. II. *de finibus* cap. 4. :
*hoc frequenter dici solet a vobis, non intelligere
nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod
quidem mihi si quando dictum est (est autem di-
ctum non parum sæpe) etsi satis clemens sum in
disputando, tamen interdum soleo subirasci . . .
Qui sit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicun-
que Epicurei esse voluerunt?*

quod in se est, & per se concipitur; hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.

Deinde defin. 6. ita Deum definit: *per Deum intelligo ens absolute infinitum, hoc est substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque eternam & infinitam essentiam exprimit.* Et Dei.

XXXIX. Ex duabus autem istis definitionibus nonnisi unicam esse substantiam hoc ratiocinio concludit proposit. 14. *Cum Deus sit ens absolute infinitum, de quo nullum attributum, quod essentiam substantiæ exprimit, negari potest (per def. 6.) isque necessario existat (per proposit. 11.), si aliqua substantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, sicque duæ substantiæ ejusdem attributi existerent, quod (per proposit. 5.) est absurdum; adeoque nulla substantia extra Deum dari potest, & consequenter non etiam concipi. Nam si posset concipi, deberet necessario concipi, ut existens; atqui hoc (per part. I. hujus demonstr.) est absurdum: ergo extra Deum nulla dari, neque concipi potest substantia. Q. E. D.*

Ex quibus demonstrat Deum esse unicam substantiam.

XL. Facile tamen est, decantatam hanc Spinozæ demonstrationem evertere;

Sed ejus demonstratio est pe-

cum

titlo prin-
cipii.

cum tota falsæ definitioni substantiæ inni-
tatur, quam verbis æquivocis expressit,
ipse autem pravo sensu usurpat. Cum enim
dicit, *per substantiam id intelligi, quod
in se est, & per se concipitur*, si nihil
aliud vult, quam quod communiter Me-
taphysici docent, substantiam *per se sub-*
sistere, id est non indigere subjecto, cui
inhæreat, quemadmodum indigent acci-
dentia, & modi, nemo illi contradicet
(quamvis locutio non sit omnino accura-
ta). Sed id nihil ejus causæ prodest, quia
substantia hoc modo sumpta non indiget
quidem subjecto, cui inhæreat, indiget
tamen causa, a qua producat. Vult
ergo Spinoza per substantiam intelligi id,
quod in se est, nempe a se ipso, exclu-
sa quacunque ejus causa. Hic autem sen-
sus falsissimus est, & superius a nobis jam
explosus (§. XIII.), ubi ostendimus, ma-
teriam sine Deo creatore nunquam exi-
stere potuisse. Hinc consequitur, in ejus
demonstratione id sumi tanquam basim,
& fundamentum, de quo est quæstio, eam-
que proinde nonnisi puram putamque esse
petitionem principii.

Et in meris
æquivoca-
tionibus
posita.

XLI. Sed præstat allatam demonstra-
tionem propius inspicere. Dicitur ibi. Imo.

Deum

Deum esse *ens absolute infinitum* &c. Bene habet, si verum Deum significemus; sed nihil ineptius, si Dei nomine materiam intelligamus, ut Spinoza certe intelligit. Eodem sensu verissimum est, quod subditur, *Deum necessario existere*, falsum autem in ore Spinozæ, qui nomine Dei materiam significat. In sequentibus verbis, ubi nullam præter Deum esse substantiam asseritur, *quia hæc per aliquod attributum Dei explicari deberet, sicque due substantiæ ejusdem attributi existerent, quod est absurdum*, æquivocatio latet; nam si ad verum Deum, qualem nos admittimus, id referatur, nemo contradicet; si autem de materia divina, aut de divinitate materiali in sensu Spinozæ id asseratur; distinctione opus est; & quidem concedimus, non posse duas substantias esse ejusdem attributi *in individuo*; sed negamus, non posse duas, aut plures substantias esse ejusdem attributi *in specie*. Quemadmodum nec ipse Spinoza negare poterit, plures esse modificationes easdem quidem *specie*, in *individuo* tamen diversas, ut sunt plantæ, animalia, homines &c., quæ omnia *in specie* conveniunt, differunt autem *numero*, *vel indi-*

viduo (h). Demum eadem æquivocatione laborant postrema verba: *Nam si posset concipi &c.*, quæ si ita intelligantur, ut variæ, & diversæ substantiæ non possint concipi, ut *necessario a se existentes*, verissima sunt; falsa autem, si innuatur, non posse eas concipi ut existentes per alterius causæ productionem. Atque ita æquivocatione sublata a fundamento ruit tota illa Spinozæ demonstratio.

Substantiæ
existentiæ
non est ne-
cessaria.

XLII. Neque illi concedi potest, quod in schol. 2. ad propos. 8. fidenter asserit, *substantiæ existentiam, sicut ejus essentiæ æternam esse veritatem*, nec posse nos substantiæ non existentis ideam habere. Hæc certa essent, si nomine substantiæ verus Deus intelligeretur; sana tamen Philosophia nos docet, aliarum rerum essentias quidem esse æternas, non autem existentias. Et quemadmodum modificationum non existentium, ut Spinoza ibidem fatetur, veras habere possumus ideas, ita non video, cur etiam substantiarum non existentium ideas habere non possimus; quia quamvis substantia *per se concipiatur*, hoc est independentem a suis

(h) Ipse Spinoza sui immemor in append. ad P. I. *Ethicæ humana corpora in multis convenire ait, in plurimis tamen discrepare.*

fuis modis, non concipitur tamen *per se*, independenter a fuis caufis (§. XL.).

Corollaria ex systemate Spinozæ.

XLIII. Sed magis etiam apparebit hujus systematis falſitas, ſi corollaria attendamus, quæ recta confeſſione Spinozæ ex eo deducit. Primo enim cum hæc unica divina ſubſtantia nihil ſit aliud, quam materia extenſione, & cogitatione prædita, ſequitur manifefſiſſime, nihil in ejus ſystemate eſſe incorporeum, & ſpirituale; & quæ vita, ac ratione pollent, ut animæ humanæ, eſſe modificationes perceptionis, quemadmodum alia, quæ ſenſu, & cognitione carent, modificationes ſunt extenſionis; ut omnis proinde diſtinctio rerum materialium, & immaterialium ablegari debeat.

Coroll. I.
Nihil eſt
immateriale.

XLIV. Alterum corollarium, non minus abſurdum, quod Spinozæ ex ſuo ſystemate deducit, eſt ſummum, & inevitabile fatum, quo, ſublata omni rerum contingentia, & hominum libertate, *res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo* (id eſt a materia, quam Deum nominat) *produci potuerunt, quam productæ ſunt* prop. 33.; & antea prop. 29. ſtatuerat, *in rerum natura nullum dari contingens*, *Gazzan. Theol. polem.* E *ſed*

Coroll. II.
Fatalis
omnium
rerum neceſſitas.

sed omnia ex necessitate divina naturæ determinata esse ad certo modo existendum & operandum; & rursus prop. 32. voluntas non potest vocari causa libera, sed tantum necessaria. At vero homines intima sui conscientia ita de sua cogitandi, agendique libertate convicti sunt, ut verendum non sit, eos posse quibuscunque Spinozæ fallaciis, ac subtilitatibus ad illud systema amplectendum adduci, in quo suæ libertatis jacturam facerent. Immo, ut non inscite Spinozam redarguebat Bælius, ut quid impius iste speravit, posse se argutiis suis veterem, communemque hominum de rerum contingentia, ac libertate opinionem evertere, si omnia fatali, & inevitabili naturæ necessitate eveniunt? quasi vero aut verbis, aut libris persuadere naturæ possemus, ut necessarium illi a Deo præscriptum cursum mutaret (i).

XLV.

-
- (i) Aliquando ita loquitur Spinoza, quasi plenam in nobis agnosceret libertatem. Sic *Ethicæ P. V.*, quam *de libertate humana* inscripsit, in scholio ad propof. 5. *hinc sequitur*, inquit, *anumquemque potestatem habere, se, suosque affectus, si non absolute, ex parte saltem clare, & distincte intelligendi, & consequenter efficiendi, ut ab iisdem minus patiatur.* Huic igitur rei præcipue danda est opera &c. Quorsum hæc, si liberi non sumus?

XLV. Consequenter ad hæc Spinoza omnia miracula vero, ac proprio sensu negat; eorum tamen retento nomine ita miraculum definit *in Tract. theol. polit. cap. 6. opus, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solita explicare non possumus*; contendens nimirum, nihil esse, quod a naturalibus causis non oriatur, eaque phænomena miracula dici, quorum causæ ignorantur. Eadem ratione prophetias explodit, cum eas non ex divina revelatione, quam figmentum putat, sed ex quodam cæstro, aut temperamento proficisci autumat.

Coroll. III.
Nulla esse
miracula, &
vaticinia.

XLVI. Quamvis in sua *Ethica* Spinoza multa tradat de vitiis, ac virtutibus, de præmiis, & pœnis, constat tamen iis omnibus nullum esse locum, ubi nulla est libertas. Immo si omnes actiones hominum nonnisi modificationes Dei sunt, vel peccata nulla erunt, vel Deo adscribentur. Sane in *Epist. 32.* cum objectum illi fuisset, *vel nulla dari peccata, nullumve malum, vel Deum ea peccata, atque illud malum efficere*, respondere non dubitavit, *nos nonnisi improprie, vel humano more loquendo dicere posse, nos erga Deum peccare, ut cum dicimus, homines Deum offendere.*

Coroll. IV.
Nullas esse
virtutes, &
nulla vitia.

Coroll. V.
Nullas causas finales.

XLVII. Omnes etiam causas finales, ut mera figmenta explodit in Appendice ad P. I. *Ethices*; ubi etiam innuit, nec oculos factos esse ad videndum, nec dentes ad masticandum, nec herbas, & animalia ad alimentum &c., sed homines credidisse, *aliquem alium* (nempe Deum) esse, qui illa media in eorum usum paraverit: & tandem concludit, eos, qui dicunt, *naturam nihil frustra* (hoc est, quod in usum hominum non fit) agere, nihil aliud videri ostendisse, quam naturam, Deosque, *aeque ac homines delirare*.

Coroll. VI.
Nullum jus naturæ.

XLVIII. Demum ex principiis in sua *Ethica* constitutis tale jus naturæ elicuit, quod omnes societatis leges, omnemque principibus debitam obedientiam a fundamentis evertat. Illud explicat in suo *Politico* (quem morte interceptus absolvere non potuit); nam cap. 2. non aliud jus naturæ agnoscit, quam unius cuiusque vim, atque potentiam; unde infert, imo *quidquid unusquisque homo ex legibus suæ naturæ agit, id summo jure agere, tantumque in naturam habere juris, quantum potentia valet: 2do nihil hominem seu ratione, seu sola cupiditate ductum agere, nisi ex jure naturæ.*

3tio fidem alicui datam tamdiu ratam manere, quamdiu ejus, qui fidem dedit, non mutatur voluntas: 4to homines esse ex natura hostes: denique in statu naturali non dari peccatum, & peccatum non nisi in imperio concipi posse, ubi scilicet quid bonum, & quid malum sit, ex communi totius imperii jure decernitur; ut proinde nihil sit natura sua bonum, aut malum, sed tale ex politicis tantum legibus efficiatur.

XLIX. Hæc, & alia hujus generis sunt, quæ Spinoza ex suo systemate corollaria deducit, quorum absurditas in oculos omnium incurrit, sed plenius demonstrabitur in sequentibus, ubi quorundam Naturalistarum deliria refellemus, qui sin minus in omnibus, in plerisque tamen Spinozæ vestigia premunt, quemadmodum, ille veterum Pantheistarum, ac coævi sui Hobbesii errores secutus est (k).

Quæ omnia
confuta-
buntur in
seq.

E 3

L.

(k) Nonnulla alia, quæ ad pleniorum Spinozistæ systematis confutationem pertinent, inveniuntur apud P. Gazzaniga in *Theol. dogmat.* P. II. cap. 4., & multo copiosius in *ejus Prælect. Theol.* Tom. I. dissert. 2. cap. 2, ubi etiam præcipui auctores recensentur, qui Spinozam confutarunt. Nonnullos tam ex Romana Ecclesia, quam ex diversis A catholicorum sectis Spinozæ refutatores nominat quoque Jac. Bruckerus in *Hist. Phil.* Tom. V.

Pauca de
Spinozæ
affectis.

L. SCHOLION. Sperandum fane erat, hoc Spinozæ systema, quo nullum hactenus prodierat magis impium, & minus intelligibile, esse illico natalitiis tenebris sepehendum. At res contra accidit; non paucos enim, præcipue in Hollandia, & Anglia nactum est affectas, inter quos majorem sibi impietatis famam compararunt Ludov. Meyerus, Frid. van Leenhof (qui tamen supremi Magistratus Hollandici jussu ad palinodiam recantandam coactus est), Abraham Kufælerus, Jo. Norrius, Franc. Guil. Stossius, Theod. Lud. Lav, Jo. Tolandus, aliique. Sed duo sunt maxime a nobis notandi, qui specioso prætextu Spinozam refellendi ejus venenum latius spargere conati sunt, videlicet Franc. Cuperus, & Boulainvillierius; quorum primus *arcana atheismi revelata* edidit an. 1676. Spinozistica lue infecta. Alter autem dum Spinozam refutare se velle simulat, totum ejus systema majori qua potuit luce donavit, eleganti etiam oratione, omnique dicendi arte illud probabile efficere conatus est, aliis postea ipsum convellendi provinciam relinquens: unde apparet, quam mendax sit titulus ejus libro inscriptus: *Refutation des erreurs de Spinoza* Bruxell. 1730. in 12,

CA-

CAPUT IV.

Exponitur, & refutatur atheismus nuperi auctoris libri pestilentissimi, cui titulus Systema naturæ (1).

LI. **I**mpius hujus infamissimæ *systematis* auctor nihil aliud esse vult præter hoc universum, & Deum impudentissime negat, cujus ideam chimæram esse putat ex ignorantia naturæ hujus universi ortam. Longum esset de toto hujus athei systemate dicere, in quo tamen nihil fere est, quod ab antiquis atheis, imprimis autem ab Epicureis depromptum non fuerit, præcipua tantum ejus capita exponemus.

Nec Dei nomen auctor iste admittit.

LII. Primo cum omnibus atheis materiam æternam ponit, & increatam, eamque non homogeneam, & indivisibilem, sed ex infinitis particulis, seu moleculis heterogeneis, & diversæ naturæ constantem. 2do motum, seu potius nisum ad motum iis esse ab æterno congenitum. 3tio ex diversa hujusmodi particularum combinatione, & motu omnia mundi entia prodire, & quotidie prodire; ita ut for-

Præcipua ejus systematis capita.

E 4

tasse

(1) Prodiit hic liber non ita pridem post alia duo opuscula: *Contagion sacrée de M. Trenchard*, & *Essai sur les préjugés*, quæ ejusdem auctoris sætutis fortasse sunt.

tasse nova rerum genera, novique homines procreandi aliquando sint. 4to nullas esse substantias immateriales; naturam tamen, quamvis ipsa intellectu careat, posse ex materia substantias intelligentes efficere, sicuti vinum in nobis spiritum, & strenuitatem efficit, licet ipsum utroque careat: animum proinde esse partem corporis, vel corpus ipsum consideratum respectu aliquarum functionum, quarum est capax; atque adeo animam tam esse mortalem, quam corpus. Immo eo usque procedit hic scriptor, ut asserere non veatur, dogmata immaterialitatis, libertatis, & immortalitatis animæ præcipuos esse nostrorum errorum fontes. 5to omnia mundi phænomena esse necessaria, cum universum nihil aliud sit, quam immensa, & inevitabilis causarum, & effectuum catena. 6to homines non esse nisi instrumenta passiva in manu necessitatis, fatum proinde in omnibus dominari: unde infert, non minus malum quam bonum a naturæ necessitate provenire; immo proprie loquendo nullum vult esse malum, sed omnia esse in natura ordinata. Hæc præcipua sunt, quæ modo ad nos spectant; & brevitatis amore innumera alia hujus libri absurda præterire cogimur.

LIII. Jam vero facile quisque videt, hoc naturæ systema (si tamen hoc nomen meretur male coagmentata errorum moles) illi veterum Epicureorum basi inniti, quam superius (§. XIII) evertimus, videlicet materiam esse æternam, & increatam, motumque sibi congenitum habere. Novus itaque hic a nobis non desideratur labor; videndum tantummodo, an nuperus iste auctor eversum jam veterum atheorum fundamentum novis rationibus restituerit; quamquam ille de philosophicis rationibus parum sollicitus perpetuis declamationibus rem totam conficere videtur, ut hac ratione facilius imperitis, aut sciolis fucum faciat. Sed ut nihil dissimulemus, ejus argumenta afferamus, quæcunque tandem ea sint.

Superius
jam refuta-
ta;

LIV. Materiam æternam esse, & a se probat, tum quia in se continet rationem suæ existentiae; tum quia alias debuisset fieri per creationem ex nihilo, quod illi imperceptibile, atque impossibile videtur. Sed jam superius ostensum fuit, nec materiam in se habere suæ existentiae causam, nec creationem esse impossibilem, & potius repugnare, materiam finitam, & limitatam a se ipsa sine ulla causa efficiente semper fuisse; repugnare insuper, ut sibi in-

Ubi ostensum est, materiam non esse ens a se,

Nec motum
illi ingeni-
tum.

genitum motum habeat, & quidem ita distri-
butum, ut ejus ope particulæ in varia, &
innumera rerum genera fortuito coagmen-
tentur; hanc particularum combinatio-
nem non posse vitam & intelligentiam in
nobis producere; & alia id genus, quæ
mysteria sunt multo abstrusiora, quam
creatio ex nihilo; immo rectius dicam,
quæ apertæ sunt absurditates (vid. §.
XIII. & seq.).

Deus suæ
voluntatis
nutu mate-
riam creat,
& movet.

LV. Ejusdem generis est, quod hic
auct̄or objicit, intelligi non posse, quo-
modo ens immateriale, cujusmodi esse
Deus dicitur, possit materiam tangere, in
eaque operari. Fatemur & nos, id su-
perare intelligentiæ nostræ vim, non ta-
men impossibile, aut absurdum hoc esse,
cum ens a se, nempe Deus, quemadmodum
omnes alias perfectiones, ita potentiam
habeat nullis limitibus coarctatam; ut &
materiam ex nihilo extrahere, & ex ea
omnia rerum genera efficere solo suæ vo-
luntatis nutu queat. Sane adversarius in-
ficiari non poterit, multa, & innumera pla-
ne in natura esse, quorum rationem igno-
ramus; & ne procul exempla petamus,
poteritne ipse nobis perspicue explicare,
quomodo corpora agant? Quomodo
unum aliud moveat? quid sit vis mo-
trix?

trix? quid motus? quid actio? quid passio? &c. &c.

LVI. Sed plane se physicorum risui exponit, cum agnoscere recusat aliquem hujus universi conditorem, & conservatorem, nempe Deum, quia hoc esset, inquit, entia multiplicare sine necessitate, cum leges ipsæ naturæ ad hoc sufficient; & cum facile sit, Deo, cujus prorsus nullam habemus notionem, materiam substituere cum motu, quam ex parte saltem cognoscimus. Nugæ hæc profecto sunt, & non minus desipere videtur, ac si aliquis machinam artificiose compactam considerans, eam ab aliquo artifice effectam fuisse negaret, ne entia sine necessitate multiplicarentur, cum interior ejusdem machinæ mechanismus ad omnes functiones exercendas plane sufficiat. Sane magnus Newtonus, cum talem excogitasset cœlestium corporum theoriam, qua omnes ipsorum motus, & revolutiones explicentur, ingenue confessus est, id sine causæ infinitæ virtute effici non potuisse; unde etiam ex toto planetario systemate Dei infinite potentis, ac sapientis existentiam luculenter manifestari concludit.

LVII. Et hæc quidem levissima sunt, ut quisque videt, & jam antea centies di-

Atque omnium naturæ legum auctor est.

Dissentio Theolog. in demon-

stranda Dei dicta, & refutata. Unum tamen addit
 existentia, minime prætereundum: sciscitatur nempe, si veræ essent, & efficaces decantatæ illæ Dei existentia demonstrationes; unde fit, ut non omnes illis acquiescant? Nam præter atheos dogmaticos, & scepticos, qui omnes repudiant, aut in dubium vocant, ipsi Deistæ in iis sibi invicem minime consentiunt, & quæ evidentissima argumenta venditantur ab his, ab aliis ut putidi paralogismi rejiciuntur, ut paucos reperire sit, qui in demonstranda Dei existentia omnino conveniant.

Hæc veritati non officit.

LVIII. Huic tamen difficultati, qua non paucos conturbari novimus, facile respondetur, observando imo, omnes omnino homines, paucissimis exceptis (quos leonibus imbellibus, aut bobus sine cornibus, aut avibus sine pennis assimilabat Maximus Tyrius) in existentia Dei confitenda consensu concordissimo convenire, quamvis inter Philosophos, ac Theologos dissensio nonnulla sit de mediis, ac viis, quibus illa demonstraretur; quæ dissensio nullum potest de Dei existentia dubium excitare. Quemadmodum si inter geometras dissensio oriretur de modo demonstrandi alicujus propositionis veritatem, inferri inde non posset,
 pro-

propositionem ipsam nec evidentem esse, nec veram, cum ne minima sit de ejus veritate dissensio.

LIX. Præterea nullos dubito, quin aliqui antiquas, & vetustate ipsa roboratas existentia Dei demonstrationes repudiare ausi fuerint, non alia de causa, quam ex nimia innovandi, aut ingenii ostentandi prurigine, vel etiam ut novis suis demonstrationibus, quas tamquam proprios foetus unice diligebant, ceteris rejectis, favorem, & patrocinium conciliarent. Fortasse etiam qui antiquis, & solidissimis Dei existentia demonstrationibus mordicus adhærebant, nonnullas aliorum novas rejecerunt, verentes, ne a veteri sua possessione dejicerentur. Optandum quidem esset, ut quemadmodum unus est finis, ad quem tendimus omnes, ita una, eademque via incederemus, vel saltem ut nemo alterum carperet, si aliam viam, dummodo tutam, inveniat. Si autem id obtineri non possit, non propterea aliquod æterna Dei existentia veritas detrimentum patietur.

Hujus dissensionis causa.

LX. Cæterum adversarium provocamus, una cum omnibus Atheis, ut contra communes, quæ in *Theol. dogm.* allatae sunt, demonstrationes aliquid solidi

Contra communes demonstr. nihil solidi afferri potest.

di afferat, quo illæ evertantur. Conatus ille quidem est P. II. cap. 4. demonstrationes Clarkii, Cartesii, Malebranchii, ac Newtoni labefactare, sed adeo infeliciter, ut ejus argumenta afferre operæ pretium non sit, præcipue contra demonstrationem Clarkii, quæ coincidit cum duabus prioribus allatis in *Theol. dogm.* P. II. cap. 1. Quantum vero attinet ad illud argumentum, ex consensu omnium fere hominum in Dei existentia confitenda petitum, etiamsi concedatur, quod non paucis videtur, illud veram, & proprie dictam demonstrationem non continere, contemnendum tamen non est, ut ille facit.

Hujus auctoris deliria.

LXI. Et certe quis eum æquo animo ferat, dum sæpe sæpius repetit, *Dei notitiam ex ignorantia fuisse ortam, non nisi apud ignorantes semper viguisse, atque ex ea veluti ex proprio fonte ignorantiam derivari; ut non nisi Deo a rerum universitate expulso ignorantia tenebræ dissipari queant?* Cum hæc noster auctōr scripsit, non illi in mentem venerunt nobilissimorum veterum Philosophorum nomina, Socratis, Platonis, Aristotelis, aliorumque plurium, qui in ipsa gentilitate Deum noverunt, quamquam
non

non sicut Deum glorificaverunt; multo minus nomina Athanasii, Basilii, Gregoriorum, Hieronymi, Augustini, & ceterorum Ecclesiæ Patrum, qui non minus scientia, quam pietate Ecclesiam illustrarunt. Ut nihil dicam de sanctis Ecclesiæ Doctoribus Thoma Aquinate, & Bonaventura, de tot præclaris Theologiæ luminibus, atque de recentioris Philosophiæ principibus Gassendo, Cartesio, Malebranchio, Leibnitio, Newtono, qui Deum existere non solum crediderunt, sed invictis etiam rationibus demonstrarunt. Sed pudet nos ista refellere, cum non puduerit ipsum ista proferre (m).

CA-

-
- (m) Hunc auctorem *System. naturæ* inter alios solide refutarunt P. Antoninus Valsecchi in I. P. *Religionis victricis*, Bergier *Examen du Materialisme, ou Refutation du systeme de la nature*, & Holland *Reflexions Philosophiques sur le systeme de la nature*; cujus postremi non piget referre iudicium de hujus operis auctore, quem dicit esse in purioribus Religionis veritatibus non satis instructum, in metaphysicis notionibus male exercitatum, & in Physica admodum mediocrem, sed vanum declamatorem, tantaque sui præsentia elatum, ut sibi blandiatur, posse errores suos, utut paradoxos confirmare. P. autem Valsecchi solita sua eruditione, & elegantia ostendit imo, hunc auctorem omnes suos errores a Lucretio hausisse, hoc uno excepto,

CAPUT V.

In quo breviter ostenditur, atheismum esse impietatem omnium perniciosissimam.

Atheismus
societati
perniciosissimus.

LXII. **A**theos nullibi apud cultas nationes fuisse toleratos & vetera ipsorum gentilium, & recentiora etiam exempla ostendunt (n), quia omnibus fem.

cepto, quod Deum aperte negaverit, quod Lucretius ausus non est: 2do infcite illi ab aliquibus tribui eloquentiæ laudem, a qua procul abest, cum nihil aliud habeat, quam inanem verborum congeriem, & sæpe sæpius putidam battologiam.

(n) Protagoras cum de Diis dubitare se profiteretur, Atheniensium jussu urbe, atque agro est exterminatus, ejusque libri in concione ambugi, ut refert Cicero Lib. I. *de Nat. Deor.* Socrates propter ei impactam atheismi calumniam fuit ad cicutam damnatus. Julius Cæsar Vanini atheismi convictus Tolosæ combustus fuit an. 1619. Franc. van Ende ob similem impietatem infami laqueo in Gallia vitam finivit. Longum esset de omnibus dicere; solum addimus, neque Epicureos fuisse toleratos, quia Dei providentiam negabant. Claudius enim Ælianus refert apud Suidam, eos senatus consulto Roma fuisse exactos, idemque præstitum olim fuisse a Messeniis, & Lyctiis. Et recte; prima enim civitatis lex esse debet, Deum colere. Vid. Grotius *de Jure belli, & pacis* Lib. II. cap. 20. §. 46.

semper persuasum fuit, non solum hanc esse maximam impietatem erga Deum, quem ex folio suo quasi detrudere gigantum more conantur, sed nihil etiam esse posse reipublicæ, atque hominum societati perniciosius. Et sane, qui nullum esse putat supremum rerum omnium Dominum, hoc ipso etiam arbitratur, nullas alias esse leges nisi humanas; nihil in se bonum, aut honestum, nisi quod utile; nihil natura sua malum, nisi quod noxium; omnia licere, quæcunque possumus; ridiculum esse juramentorum vinculum; nulla pacta servanda, si voluntas mutetur; nullum esse internum mendaciorum, aliorumque animi criminum testem, & vindicem; & hujus generis alia, quæ superius (§. XLVIII.) a Spinoza tanquam impii sui atheismi corollaria non solum admissa, sed veluti demonstrata prædicari vidimus. His autem positis, quis tam hebes est, ut non sentiat, immanem aperiri omnibus flagitiis januam; ut nihil sit, quod Atheus non audeat, modo impune id facere se posse speret, & ut Poeta inquebat de Achille,

Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

LXIII. Quod autem aliqui dicunt, etiam Atheos virtutis amore, vitlique
Gaxan. Theol. pol. F tur-

Quia nulla se adstrictum lege cognoscit.

82 *Atheismus impietas perniciosissima*

turpitudine commoveri posse, omni plane sensu caret. Ecquam enim virtutem agnoscat atheus, & quod vitium, cum nullam esse credat æternam legem Dei, unde virtutis, ac vitii notio proprie pendet? Et quamquam ignorare non possit, esse leges saltem humanas, nihil tamen erit, unde etiam credat, se ad parendum hujusmodi legibus obligatum esse; quamobrem eas non nisi formidine pœnæ observabit; ut proinde si vel dolo, aut vi pœnam effugere queat, nulla se ad eas servandas conscientia adstringi putabit. Hinc aperte liquet, conclamatum pene fore de debita Principibus, & Magistratibus obedientia, si tali numero excrescerent athei, ut alios non timere, sed ipsi se ab aliis timendos esse, confiderent.

Sed bonum
privatum
tantummodo
sequitur.

LXIV. Nec iterum aliqui nobis dicant, atheos, si prudentes sint, saltem noscere debere, ad propriam ipsorum utilitatem pertinere, ut legibus humanæ societatis pareant, quandoquidem istæ ad bonum commune tendunt; cujus quælibet pars particeps est. Non inquam; facile enim rem attente consideranti apparebit, privatum bonum, cui nonnunquam societatis leges opponuntur, unicum esse posse athei scopum, & finem; vel

vel saltem non omnibus, & semper manifestum esse illud bonum, quod ex communi societatis vinculo in singulos redundat. Atheus igitur, quotiescunque illi utile videbitur, aut volupe furari, ulcisci, talamos violare &c., nihil erit quod ipsum ab hujusmodi actibus cohibeat, nisi aliorum hominum timor: quo timore si liberare se possit, jam effrenis in omnia vitia ruet, & erit homo homini lupus, & lupo pejor.

LXV. Qua quidem in re hominem considerari oportet, non ut esse deberet, aut posset, sed cujusmodi re ipsa est, naturæ videlicet corruptæ, atque ad malum pronæ, cujus corruptionis, etiam seposita revelatione, innumera nobis præbet quotidianus rerum usus documenta: quo fit, ut nisi Religionis fræno cohibeatur, in omnia flagitiorum genera se imprudens præcipitet. Quod etiam confirmatur ex eo, quod non obstante Religionis fræno tantam videmus hominum malitiam; quid ergo expectandum foret, si hoc fræno sublato suis impiis cupiditatibus liberrime indulgere permitterentur?

LXVI. Et quid demum, si atheus consequenter ad varia systemata superius (cap. I.) exposita, omni negata libertate,

Attendi
etiam de-
bet naturæ
corruptio.

Tum da-
ctrinæ
atheisticæ
consecutio.

84 *Atheismus impietas perniciosissima*

se ad vitia inevitabili fato trahi, ac compelli putet? isne aliquid tribuat amicorum suasionibus, prudentum consiliis, aut superiorum correptionibus? isne revereatur Principis majestatem, aut justitiam, pœnasque sibi comminatas timeat? fardo plane caneretur fabula, & se alium esse posse, quam sit, obstinate negaret, totamque criminum suorum culpam in factum rejiceret.

Pauca
Atheorum,
qui innoxie
vixerunt,
exempla
non ob-
stant.

LXVII. Neque audiendi sunt, qui nobis aliqua (quamquam non multa) atheorum exempla objiciunt, qui tranquillam in civitate vitam egerunt, eaque officia diligenter sectati sunt, quibus maxime societas hominum fovetur, & crescit: quod de Spinoza præcipue prædicare solent. Non inquam; imo enim hæc inter atheos raræ sunt aves; ubi autem Religio colitur, frequentissimi occurrunt homines *integri vita, scelerisque puri*, qui non minus Deo, quam reipublicæ se totos devovent. Deinde id fortasse aliquando contigit inter atheos, quia pauci erant, & quandoque etiam singulares, ita ut metu aliorum, aut aliquo alio fine contineri potuerint, ne in aperta scelera aliis noxia erumperent. Sed paulisper fingamus (Deus hoc omen avertat) hanc

pe-

pestem ita serpere, ut maximam hominum partem, præcipue autem viliorem plebem inficiat, ubinam erit amplius reverentia Majoribus debita, officia erga æquales, vel subditos, vinculum caritatis erga omnes, obedientia legibus, principum timor, pax & securitas civium? an non ubique turbulenta anarchia, rerumque omnium confusio, & perturbatio regnabit?

An Atheismus sit superstitione peior?

LXVIII. Hæc cum ita esse nemo non videat, aliqui in dubium saltem revocaverunt, an superstitio (qua vel falsa Numina coluntur, aut verus Deus, non prout oportet, adoratur *Theol. dogmat. P. I. §. 3.*) sit hominum societati perniciosior atheismo (o)? Atheus enim, inquiunt, quid alii de Religione sentiant, non curat, adeoque tranquille sibi vivit, aliis minime molestus: superstitiosus autem quam facillime ad *fanaticum* declinat, & cum omnibus pugnat, qui ejus Religionem averfantur. Hinc christiana Re-

F 3

ligio

(o) Perniciosiorem esse affirmavit Jo. Tolandus in *Adeisdamone*, & multis argutis id probare conatus est Petrus Bælius in opere *Pensées diverses sur les Comètes §. 133.* & in ejus continuatione §. 65; qua de re innumeras fere habuit cum aliis viris doctis concertationes,

ligio tot & tam sævis persecutionibus obnoxia olim fuit, & adhuc est in quibusdam Orientis partibus, ubi crudelis superstitio regnat. Hinc tot etiam inter christianos ipsos dissensiones, odia, & civilia bella Religionis causa, quorum horribilis memoria nondum abolita est: quæ omnia cum perpendimus, vix nos continere possumus, quin illud repetamus Lucretii epiphonema

Tantum Religio potuit suadere maiorum.

Affirmatur
esse pejorem.

LXIX. Primo tamen considerari volumus, justam fieri non posse collationem inter atheismum, & superstitionem, quia atheismum nondum regnare vidimus, unde qualis sit ejus indoles, nondum nos experientia docuit. Ex variis tamen incredulorum libris aliquod habere possumus eorumdem intolerantiæ specimen, eum sarcasmis, irrisionibus, satyris, injuriis, ac calumniis pleni sint. Videmus etiam eorum nonnullos, quasi impietatis apostolos omnibus modis bellum Religioni indicere; nec Religionem solum, verum etiam Principum majestati, quod in quibusdam seditiosis eorum operibus apparet

ret (p). Hinc conjectare possumus, nullos futuros magis intolerantes, quam atheos, si rerum summa potirentur. Præterea quamvis athei bellum fortasse aliis non inferrent Religionis causa, inferrent tamen ratione propriæ cupiditatis, quam unice ut Deum colunt, eorumque omnium hostes essent, quorum potentiam sibi noxiam, aut incommodam crederent. Porro nemo inficiabitur varia, nefanda, & perniciosissima fuisse superstitiosæ gentilitatis, & furentis fanatici deliramenta; nunquam tamen probabit Bælius, ea tantam societati perniciem attulisse, quantam atheorum anarchia inferret, qui una cum Religione non aliquam societatis humanæ partem, sed totam plane a fundamentis ex vi suorum principiorum everterent.

F 4

LXX.

(p) Vld. *La nouvelle Philosophie dévoilée* &c. volum. I. in 12. en France 1770, ubi quo demum moderni Pseudo-Philosophi tendant, ex ipsis eorum verbis manifestum fit, ad evertendam nempe una cum Religione debitam etiam principibus obedientiam. Id non ita pridem ceteris audacius molitus est auctor infamis libri: *Le système de la nature*. Id Jo. Trenchard in impio opere *La contagion sacrée, ou Hist. naturelle de la superstition*. Id ipsum scriptor pestilentis opellæ: *Le christianisme dévoilé*.

Conclusio
ex Cicero-
ne.

LXX. Otium modo non est, subtiles Bælii cavillationes, quarum feracissimum illum fuisse omnes norunt, ad examen vocandi, & totum hoc caput concludimus verbis Ciceronis Lib. II. *de Legibus* cap. 7: *Sit hoc a principio persuasum civibus, Dominos esse omnium rerum, ac moderatores Deos* (quanto melius & verius Deum in numero singulari nominasset) *eaque, quæ geruntur, eorum geri vi, ditioe, ac numine: eosdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque & impiorum habere rationem. His enim rebus imbutæ mentes haud sane abhorrebunt ab utili, & a vera sententia. . . . Utiles esse autem opiniones has quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quantæ salutis sint fœderum religiones, quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit, quamque sancta sit societas civium inter se ipsos, Diis immortalibus interpositis, tum iudicibus, tum testibus?*

Satis non
est Dei exi-
stentiam
fateri, nisi

LXXI. Hæc Tullius solo Philosophiæ lumine illustratus. Quanto autem plura addere potuisset, si illi fuisset datum sub-
li-

limiores eas veritates noscere, quas æterna Sapiencia nobis dignata est revelare? Ceterum ex præclara hac Tullii sententia manifeste apparet, ad humani generis felicitatem satis non esse Dei existentiam agnoscere, nisi etiam supremam ejusdem providentiam, & inde ortam Religionem toto cordis affectu veneremur, & colamus. Quamobrem danda est opera, ut eorum etiam errores propulsemus, qui Deum quasi inertem, & otiosum sibi fingunt, nec nostra curantem; aut si Religionem aliquam necessariam esse confiteantur, eam mutilam, & mancam, aut ex arbitrio hominum pendentem, non autem a superna Dei ipsius revelatione derivatam comminiscuntur. Sit igitur

etiam ejus
providen-
tiam agno-
scamus.

S E C T I O II.

Recensentur, & impugnantur varii eorum errores, qui Deistæ vulgo appellari solent (q).

- I. *Deistæ*, vel *Theistæ* usitata nunc hujus vocabuli significatione dicuntur. Quinam
sint Deistæ?

F 5

cun-

(q) Deistarum nomen cœpisse videtur paullo post initium sæculi XVI, si vera sunt, quæ scribitur

cuntur illi, qui Deum agnoscere se profitentur, negant autem plura dogmata, quæ de ejus providentia in *Theol. naturali*, multoque firmiter in *Theologia revelata* demonstrantur. Commune illorum symbolum his paucis verbis continetur: *Credo in Deum*; post autem in varias, sibi que discordes sectas dividuntur, quarum præcipuas recensebimus, cum omnes enumerare difficile admodum sit; tot enim fere sunt, quot incredulorum capita. Et prima quæstio maximi momenti est de Dei providentia, quæ si negetur, ut recte inquebat Cicero L. I. *de Nat. Deor.*, *quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio?* quibus sublatis, pergit idem auctor, *perturbatio vitæ sequitur, & magna confusio; atque haud scio, an pietate adversus Deos (dicamus nos Deum) sublata, fides etiam, & societas generis humani, & una excellentissima virtus justitia tollatur.*

Epicurus
omnem pro-
videntiam
negabat.

II. Epicurus, ut nullum hujus mundi parentem, & opificem statuebat, ita consequen-

bit Petrus Viretus in *Epist. dedicat.* Tom. II. *Instruct. Christ.*, scilicet eos, qui ab Atheis quidem alieni erant, dogmata autem Religionis christianæ recipere recusabant, novo nomine appellatos fuisse *Deistas*.

quenter etiam nullum ejusdem proviforem, & administratorem esse volebat; sed omnia casu fortuito regi, sicuti fortuito casu nata sunt. Deos tamen negare non est ausus, sive invidiæ detestandæ causa, ut nonnullorum opinio est; sive potius, quia anticipatæ, communique omnium opinioni repugnare non poterat. Commentitios suos Deos non omnino incorporeos, ne scilicet sensu, & voluptate carerent, sed humana forma præditos esse dicebat: non tamen ipsis verum corpus, sed *quasi corpus*, nec verum sanguinem, sed *quasi sanguinem* tribuebat: eorum sedem in spatiis intermundialibus collocabat, ubi tranquillam, & beatam vitam sine molestis hujus mundi curis degerent: eos tandem a nobis honorandos, & colendos præcipiebat, non quod aliquid ab ipsis timendum, aut sperandum esset, sed unice propter divinæ naturæ excellentiam,

III, Ab hac Epicuri impietate omnes fere alii Philosophi, præcipue autem rudes populi recedebant, ita tamen, ut in alios nec leves errores prolaberentur. Populus enim in Polytheismo educatus, ut varia Numina esse credebat, ita inter ea rerum hujus mundi providentiam partiebatur: immo Fortunæ etiam cœcæ, &

Errores populorum, qui providentiam admittebant.

volubili plurimam humanorum eventuum partem tribuebat. *Toto mundo, inquit, in locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur: volubilis a plerisque, & caeca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum faulrix: huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium utramque paginam facit.* Hinc tam apud Græcos, quam apud Romanos multa Fortunæ templa, & aras dicata fuisse novimus.

Et etiam
Philoso-
phorum.

IV. Philosophi autem, quamquam providentiam admitterent, eam tamen admodum circumscribebant; quidam enim nonnisi res cœlestes ipsi subdebant: alii etiam ad res terrenas extendebant, sed tantummodo universales, ut sunt rerum species; unde illud Balbi apud Ciceronem: *magna Dii curant, parva negligunt: alii bona tantum corporis, non autem animi virtutes a divina providentia petenda esse arbitrabantur* (r).

V.

(r) Nota sunt ea Cottæ verba apud Ciceronem Lib. III. *de Nat. Deor. omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, uber-*

V. Stoici demum, qui rectius omnibus aliis de providentia sensisse creduntur, sibi ipsis parum constabant, dum ineluctabili fato; atque adamantina necessitate, cui vel Jovem ipsum nonnunquam subdere videbantur, omnia suspendi volebant. Hinc Plato, teste Plutarcho de *Plac. philosoph.* Lib. I. cap. 26, quasdam res providentiæ, alias fato tribuebat. Hos veterum errores fatis refutavimus in *Theol. dogm.*

Qualis Stoicorum opinio?

ubertatem frugum, & fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemque vitæ a Diis se habere; virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit. Nimirum recte, propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur, quod non contingeret, si donum a Deo, non a nobis haberemus - - iudicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. Eodem sensu inquebat Horatius Lib. I. epist. 18.

Sed satis est orare Jovem, quæ donat, & auferit;

Det vitam, det opes; æquum mi animum ipsi se parabo.

Falsum est tamen, hanc fuisse communem opinionem; vulgatum est enim illud: *Juvante Deo*, quo veteres sæpius utebantur eodem Cicerone teste; immo Balbus apud ipsum Lib. II. *de nat. Deorum*: *nemo*, inquebat, *vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit.* Ita errabant veteres sola ratione duce veritatem quasi palpantes, constans autem erat, certum, & firmum apud solos Christianos de divina providentia dogma, quod apud Minutium Fellicem, Lactantium, aliosque videre est.

dogm. P. IV. capp. 17. & 18; quam obrem exponendis, & refutandis aliis novorum Deistarum erroneis sententiis operam dabimus; ut ad eam providentiam peculiarem, qua Deus hominibus supernæ revelationis lumen impertitur, adstruendam contra Naturalistas viam nobis sternamus.

Partitio hujus sectionis.

VI. Quatuor igitur nobis in hac sectione convellendi erunt Deistarum errores, quibus peculiarem, quam gerit Deus rerum humanarum curam, tollere nituntur. Contendunt nimirum 1mo animos hominum esse materiales, a nostris corporibus minime distinctos: 2do eos nulla gaudere libertate: 3tio pecudum more una cum corpore dissolvi: 4to demum nullas esse veras, & naturales boni, & mali notiones. Hæc porro si vera essent, nullus jam merito, & demerito, præmio, & poenæ esset locus; quibus sublatis, non minus quam sublata ipsa providentiâ nulla amplius esse potest pietas, aut religio; immo nec ulla societas generis humani, ut supra (§. I.) cum Cicerone dictum est. Quamquam autem hæc veritates multo luculentius divina revelatione, quam sola ratione confirmentur; hæc tamen satis gravia suppeditat momenta, ut vir prudens

dens lis assentiri debeat; & insuper contrarias adversariorum cavillationes facile dissolvit. Sit itaque

C A P U T I.

Ostenditur, animum hominis esse incorpoream substantiam.

VII. Jam superius (Sect. I. §. XV.) obiter observavimus cum Cicerone, animos hominum inter posibles materiæ combinationes non contineri; nunc autem data opera id ostendere aggredimur contra veteres, novosque *Materialistas*, qui, quamvis nihil difficilius captu sit, quam materiam cogitare, ratiocinari, & velle, hoc tamen imperceptibile mysterium credere malunt, quam animos nostros substantias esse incorporeas, & spirituales.

De animi nostri natura.

VIII. Quid de animæ natura senserint veteres Philosophi, non omnino compertum est; nam etiam Galenus *de usu partium* cap. I. & sequ. se admodum dubium, & ancipitem ostendit. Certum tamen videtur, plerosque eorum animam a corpore distinxisse; nam hoc dissoluto illam superesse credebant. Has autem ani-

Quid senserint veteres.

96 *Animus hominis est incorporeus*

animas a corpore sejunctas, quasi tenuissimas umbras, aut imagines esse sorgebant; unde anima Anchisis dicitur a Virgilio

Par levibus ventis, volucrique simillima somno;

ita ut Æneas ter frustra eam complecti nisus fuerit. Huetius in *Quest. Alnet.* Lib. II. cap. 8. sibi persuadet, sententiam de incorporea animi natura apud plerosque Philosophos obtinuisse; ast aliis verosimilius videtur, eos excluso corpore crassiori, & palpabili, aliquod saltem subtilissimum velum, & corpus sui generis animo tribuisse; qua in sententia etiam aliqui veteres Christiani fuere, solum Deum omnino incorporeum esse statuentes (s).

IX.

-
- (s) In hunc errorem lapsus est celebris ille Semipelagianorum coriphæus Faustus Abbas Monasterii Lirinensis Sec. V, qui, teste Gennadio, libellum elucubravit *adversus eos, qui dicunt, esse in creaturis aliquid incorporeum, in quo & divinis testimoniis, & Patrum confirmat sententiis, nihil credendum incorporeum, præter Deum.* Fausto resistit Claudianus Mamertus editis tribus libris *de statu, vel de substantia animæ*, quibus eam incorpoream esse invicte demonstrat. Porro ex hoc Claudiani opere, aliisque non paucis veteribus scriptoribus, imprimis autem ex SS. Augustino, & Thoma falsi revincitur Bællius, dum in art. *Simonide rem.* F. primum fuisse

IX. Et hæc quidem veterum opinio, quamquam a veritate aliena, in eo tamen tolerabilis videri poterat, quod aliquam statueret corpus inter & animam distinctionem. At vero pejus errant nostræ ætatis Pseudo-philosophi, qui veterum Epicureorum deliria suscitantes animam nihil aliud esse volunt, quam partem corporis, ut superius (Sect. I. §. XVII. & XLIII.) in Spinozæ systemate vidimus, illi autem præiverat Thomas Hobbesius contendens substantiam incorpoream æque repugnare, ac corpus incorporeum. Idem tradunt Antonius Collinſius, Jo. Tolandus, alique increduli. Jo. autem Lockius id quidem aperte ausus non est, sed in Lib. IV. *de intellectu humano* cap. 3. in dubium revocans, an Deus omnipotentia sua materiæ vim cogitandi tribuere possit, largam aperuit

Pejus errant recentiores.

ja-

fuisse Cartesium asserit, qui veram substantiæ spiritualis notionem tradiderit, cum antea omnibus persuasum esset, spiritibus aliquam extensionem convenire; unde consequeretur, spiritus non esse substantias simplices, sed partibus constantes, quia extensio qualiscunque ea sit, sine partibus intelligi non potest. Certe Bælius, cum hæc scripsit, ea ignoravit, quæ laud. Claudianus, & alii bene multi de substantia spirituali inextensa communiter ante Cartesium tradiderant.

januam Voltairio, Rousseavio, aliisque incredulis, ut sine hæsitatione materiam cogitare posse, assererent; immo ut eos impietatis arguerent, qui id negantes quasi terminis quibusdam divinam omnipotentiam concluderent. (Ita inter alios Voltairius in epist. XIII. in *Lockium*). Hunc errorem utpote Religioni admodum perniciosum impune grassari, patiendum non est.

Animæ definitio.

X. Sed antequam progrediamur, præmittendum est, quid nomine animæ incorporeæ, & spiritualis veniat. Cartesius eam dixit *substantiam cogitantem*; sed hæc definitio aliis minime arridet, quibus animæ essentia non in actuali cogitatione, sed potius in facultate cogitandi ponenda esse videtur. Melius itaque anima nostra dicetur *substantia activa, intelligendi, ac volendi vi prædita, extensione, aliisque materiæ proprietatibus carens*. Hac in definitione, quamvis perspicue, & distincte quid proprie anima sit, non exprimitur, quia substantiæ spiritualis claram, distinctamque notionem non habemus, saltem concipimus, eam imperfectionum, quæ materiæ conveniunt, esse expertem.

Quid cogitatio proprie sit?

XI. Observandum est autem, nomine cogitationis hic non designari quamcunque perceptionem, aut cognitionem, quam

bru-

brutis etiam communem esse, exceptis Cartesianis (t), omnes fere consentiunt; sed illam actionem multo nobiliorem, qua anima nostra res etiam abstractas intelligit, varias ideas inter se confert, de earum veritate, aut falsitate judicat, atque ex iis alia ratiocinando deducit, præteritorum meminit, futura prospicit, dubitat, deliberat, eligit, vult; quibus omnibus anima nostra immensum quantum brutorum animas antecellit.

XII. Atque ex his nobilioribus animæ nostræ actionibus eam incorpoream esse liquido ostenditur, quia cogitatio proprie dicta (§. XI.) materiæ convenire nullo modo potest. In materia enim nihil aliud conspicimus, quam soliditatem, extensionem, variasque vires motrices, in quarum tamen nulla potest cogitatio reponi. Nec adversarii, postquam diu multumque in analysi harum proprietatum desudarunt, determinare unquam potuerunt, in quam earum sita sit vis cogitandi.

Hæc materiæ non convenit,

G 2

XIII.

(t) Quos tamen præcesserat celebris Gomezius Pereira Medicus Hispanus in sua *Antoniiana Margarita* excusa an. 1554. contendens, bruta non esse nisi mera automata sensu omni, & perceptione carentia; quamobrem Cartesius plagii suspitione laboravit.

Quod magis
declaratur.

XIII. Cum autem Materialistæ hoc argumento premuntur, in labyrinthum ignorantiae se recipere solent: nobis, inquit, minime perspecta est tota prorsus materiae natura; quis igitur scire potest, an in impenetrabili ejus sinu aliqua alia virtus lateat, unde cogitatio oriatur (u)? His illud reponi posset, quod ipsi sæpius nobis oggerere solent, non esse quærendas occultas rerum qualitates, sed ex claris, distinctisque earum notionibus philosophandum. Verumtamen ne aliquod supersit dubium, non erit difficile ostendere, hanc intelligendi vim non posse in mortua, ac cæca materia delitescere, utpote quæ cum aliis notis ejusdem materiae proprietatibus pugnat.

Immo materiae repugnat.

XIV. Pugnat videlicet cum extensione, quæ materiae inseparabiliter convenit; si enim vis illa, quæ cogitat, extensa esset, & partes haberet extra partes, aut quælibet hujus vis extensionis pars partem tantummodo rei objectæ perciperet, aut totam; utrumque autem repugnat: si enim primum dicatur, tunc quælibet pars materiae cogitantis partem objecti percipiet, & nul-

(u) Ita Voltairius in I. P. *Metaph.* cap. 6, & fere omnes alii Materialistæ.

nulla totum: ex. gr. si percipiatur triangulum, in hac hypothesi una pars vis cogitantis unum trianguli latus percipiet, alia aliud, & nulla totum triangulum. Si vero dicatur, singulas materiæ cogitantis partes totum simul objectum percipere, jam tot erunt objecti perceptiones, quot materiæ cogitantis partes; cumque materiæ partes, ut Philosophi ostendunt, in infinitum dividi possint, jam infinitæ erunt objecti unius perceptiones; quo necio, an aliquid absurdius dici possit. Necessè est igitur vim cogitantem omni extensione carere, adeoque materiam esse non posse (x).

XV. Id magis apparet in ea animi operatione, quæ ratiocinatio dicitur; in ea enim duæ, aut plures perceptiones uniuntur, ut ex his nova perceptio eruat. Jam vero si vis cogitandi extensa esset, & singulis partibus singulæ perceptiones contingerent, ubinam esset illa vis, quæ omnes istas perceptiones uniret, ac

Quod efficacius demonstratur.

G. 3 simul

(x) Hanc efficacissimam rationem breviter suo more proposuit S. Thomas Lib. II. *contra gentiles* cap. 49; quam postea innumeri scriptores illustrarunt, qui contra Materialistas animum hominis esse incorporeum demonstrarunt. Immo eam invictam prorsus esse censuit etiam Bælius in *Diçtion. art. Leucippe. rem. E.*

simul conferret, ut ex iis novam quandam perceptionem eliceret?

Effugium
præcluditur.

XVI. Fingent fortasse, cogitationem fieri in unico puncto materiæ, ad quod veluti ad centrum omnes nervi sensorii colliment. At vero sciscitatur, an illud punctum divisibile sit, an indivisibile? Si divisibile, tot erunt iterum perceptiones, quot partes, in quas punctum illud dividuum est. Si indivisibile, quomodo tot, & tam diversæ perceptiones in eo uniri poterunt? Ut cum eodem tempore & cibi saporem, & floris odorem, & musicæ concentum percipimus; immo & judicamus, quodnam eorum majorem in nobis excitet voluptatem. Præterea multi, & magni Philosophi nulla esse puncta indivisibilia pro re plane demonstrata habent.

An possibili
s sit mate-
ria cogi-
tans?

XVII. At vero his non obstantibus ad divinam omnipotentiam adversarii confugiunt, & simul cum Jo. Lockio Lib. IV. *de intellectu humano* cap. 3. seposita revelatione nobis scitu impossibile esse dicunt, an Deus omnipotens cogitandi facultatem materiæ apte dispositæ imperitus fuerit; an vero materiæ aliam substantiam immaterialem conjunxerit, quæ

va-

valeat cogitare; utrumque enim æque possibile videtur (y).

XVIII. Huic Lockii dubitationi, quæ Materialistis admodum placuit, illico a sanioris Philosophiæ Theologis responsum fuit, nullam prorsus repugnantiam in eo esse, ut Deus corpori nostro materiali, & extenso substantiam incorpoream, & simplicem conjunxerit, quæ illud vivificet, & regat; unde id factum esse a Deo credimus; quamvis modum, quo hæc conjunctio facta est, comprehendere nulla ratione possimus. Contra res se habet de cogitandi vi materiæ imperienda; cum enim ut ostensum est, cogitatio rei extensæ repugnet, Deus id facere non potuit; saltem si verum est, quod communiter omnes Philosophi, & Theologi tenent, paucissimis exceptis (z), Deum non posse contradictoria facere.

Possibilem non esse probatur.

G 4. XIX.

(y) Observarunt viri acuti, id saltem, ex hoc Lockii dubio consequi, Materialitas illius affectus de Dei existentia dubitare amplius non posse. Immo nec dubitare posse, Deum esse incorporeum, nisi fingere velimus alium Deum, qui ejus materiæ cogitandi vim tribuerit.

(z) Accusatur Cartesius, quod in respons: *ad sextas objectiones*, tum in aliis locis docuerit, Deum posse impossibilia facere; ex. gr. ut bis quatuor non sit octo; & quod intolerabilius est,

Jo.

Nec pro-
pterea Dei
omnipoten-
tia limita-
tur.

XIX. Neque vero, ex quo impossibi-
le judicemus, cogitandi vim materiæ ex-
tensæ convenire, Dei virtutem nostro
concupiendi modo accommodamus, aut
eam aliqua ex parte restringimus, quem-
admodum objicit Lockius. Quid enim
iple responderet, si ad Dei omnipoten-
tiam magnificandam quispiam diceret,
Deum efficere posse, ut bis duo essent octo,
aut octo non essent quid majus, quam
duo? Anne id negando se accusari time-
ret, quod Dei omnipotentiam suis ideis
accommodaret, eamque angustiis suæ men-
tis limitibus coarctaret? Idem plane est
in casu nostro.

Objectio ex
anima bru-
torum.

XX. Sed maxima hac in re difficultas
oritur ex anima brutorum, quam Peripa-
teticici materialem esse volunt, & tamen
perceptionis capacem. Immo qui anima-
lium

Jo. Clericus in *Ontologia* cap. 4. §. 8. & cap.
14. §. 11. id a Cartesio excogitatum fuisse di-
cit, ut Catholicorum *transubstantiationem* tue-
retur. Insulse omnino, cum hoc dogma ab
omnibus Catholicis defendatur, qui Deum fa-
cere impossibilia non posse, indubitanter existi-
mant; qua de re egregie pro more suo disse-
rit S. Thomas Lib. II. *contra gentiles* cap. 25,
& I. P. Quæst. XXV. art. 3, ubi etiam ob-
servat, melius dici, quod ea, quæ contradi-
ctionem implicant, *non possint fieri, quam quod
Deus non possit facere.*

lium historiam diligentius persecuti sunt, tot & tantas observarunt belluarum artes, calliditates, ac sagacitates, ut vix nos temperare possimus, quin illis & ratiocinium, & libertatem ipsam concedamus. Sane quædam earum sunt instructionis capaces, quæque & præmiis alliciuntur, & pœnis deterrentur, quod rationis, & libertatis maximum indicium est. Si itaque non repugnat animæ materiali brutorum hæc cogitandi vis, cur impossibile iudicabimus, eidem materiæ subtiliori, & vividiori excellentiorem cogitandi vim a Deo tribui posse, qualis in homine invenitur (a)?

G 5

XXI.

- (a) Hieronymus Rorarius clarus seculi XVI. scriptor libros duos edidit, quibus ostendere nifus est, *animalia bruta sæpe ratione uti melius homine;* cujus operis occasionem nactus Petr. Bælius in *Diçtion.* art. *Rorarius* rem. E & F. omnes ingenii sui conatus exerit, ut contra Peripateticos evincat, concessa semel brutis sentiendi facultate, nullum amplius certum discrimen inter ipsorum & nostram animam statui posse; nisi quod defectu organorum brutorum animæ nonnullarum actionum incapaces sint, quod idem contingit in pueris, in senibus, & in amentibus, quorum tamen animæ ejusdem plane speciei sunt cum aliorum hominum animabus. Nostra modo non interest subtiles ejus cavillationes refellere; quamquam nihil affert, nisi quod ab aliis dictum jam fuerat, & solum elo-
- quen-

Res est ad-
modum ob-
scura;

XXI. Diffimulare tamen adversarii non deberent, quando hæc opponunt, quanta sit eruditorum de anima belluarum dissensio, & quanta hujus rei obscuritas, & incertitudo, ut nihil plane sit in tota Philosophia magis occultum, quamquam in eo detegendo summi viri omnem posuerint diligentiam. Unde fit, difficultati propositæ nullam esse vim ad veritatem animæ incorporeæ labefactandam, nisi dicere velimus, certum tolli per incertum, & perspicuum per obscurum.

Quæ tamen
nobis mini-
me obest.

XXII. Sed si etiam cum Peripateticis brutorum animam materialem esse dicamus (b) (de quo tamen modo quæstio non est) non propterea efficietur, rei materiali posse eum nobiliorem cogitandi modum

CON-

quentiæ suæ phaleras, & acumen addit; nec advertit ex eo ipso, quod Deus in brutis ea organa non efformaverit, quæ perfectæ intellectui necessaria esse dicit, argumentum invidium deduci, iis animam cogitandi capacem non dedisse. Quamquam certum est, intelligendi, ac volendi actiones organis corporeis non exerceri.

(b) Cum Peripatetici brutorum animam materialem dicunt, non significant, eam esse corpus, aut materiam, sed substantiam quandam mediam inter spiritum, & corpus; non enim materiale confundendum est cum materia, aut corporeum cum corpore: sic vires motrices corporeæ sunt, non corpus.

convenire, quem in nobis experimur; ut enim inquiebat Cicero Lib. I. *Officiorum, inter hominem & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paullum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia, & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adjungit, atque adnectit futuras, facile totius vitæ cursum videt, & ad eam degendam præparat res necessarias.*

XXIII. Et sane multa alia sunt, quæ Propter nostræ cogitationis excellentiam; immane discrimen ostendunt inter materiales brutorum sensationes, & spirituales prorsus nostrum cogitandi modum. Mens enim nostra non solum corporeas illas res percipit, & intelligit, quæ in sensus incurrunt, sed supra sensus extollitur, eorum errores corrigit, res abstractas, universales, spirituales, & a sensibus remotissimas considerat, verum, & falsum, justum, & injustum, bonum, & malum accurate distinguit, longa ratiocinia texit, eorumque ope veritates occultas detegit,
&

& terram transcendens, ac cœlum penetrans divinitatem ipsam, ejusque infinita attributa, quantum intellectui limitato fas est, affequitur, & meditatur. Quis porro adeo cum ratione insaniat, ut hunc cogitandi modum brutis concedat?

Quod magis
etiam de-
claratur.

XXIV. Videmus quidem, aliqua ab ipsis artificiosissime præstari, qualia vix ab homine fieri possent; sed recte observabat S. Thomas Lib. II. *contra Gentiles* cap. 82, omnia animalia ejusdem speciei similiter operari; quod indicat, ea non ex arte aliqua, sed potius ex instinctu naturæ moveri. Hinc nulla unquam facta est in eorum operationibus variatio, nulla nova inventio, nec ulla perfectio addita (c). Contra autem in hominibus quanta varietas, quantum artium augmentum, quot nova inventa!

In brutis
nullum est
ratiocini-
um.

XXV. Neque concedendum est, aliquam proprie dictam esse in brutis ratiocinandi vim, licet eam in quibusdam ope-

ra-

(c) Helvetius in libro *de l'esprit* disc. I. cap. I. in nota, præter alias hujus rei causas id repetit a brevitate vitæ animalium, qua fit, ut tam multa observare non possint, ex quibus eorum scientia augeatur. Præclara sane ratio! quævis ex Naturalistis discere poterat, nonnulla animalia, ut elephantes, diutius vivere, quam homines.

rationibus æmulari videantur. Quæcunque enim in hanc rem etiam mira de animalium quorundam sagacitate afferri solent, non est difficile, aut saltem impossibile, explicare per solas sensationes, vel etiam per aliquem instinctum iis a naturæ auctore impressum. Hic porro instinctus in eo maxime apparet, quod videmus, animalia quædam sine ullo magistro ea noscere, quæ sibi infesta sunt, ut oves cognoscunt lupum; & ea etiam, quæ sibi sunt salutaria, ut pleraque animalia medicinas. Hujusmodi instinctus apparet etiam in quibusdam actionibus hominum; ut cum in periculo cadendi se variis modis movent, ne ab æquilibriõ recedant; aut ad avertendum ictum a capite manum supponunt; & id genus alia fiunt, in quibus aliquod ratiocinium apparet, ubi certe nullum est, sed solus instinctus. De tota hac re dignus est inter ceteros, qui legatur S. Thomas I. 2. Quæst. 13. art. 2, præter ea, quæ in 2do libro *contra Gentiles*, & in I. P. data opera de brutorum anima disputat. Nobis hæc pauca sufficiant ad retundendam potissimam Materialistarum objectionem (d). XXVI.

(d) Ceterum non pauci sunt inter Philosophos etiam modernos, qui brutorum animam non secus,

Nostra cogitatio a sensatione differt,

XXVL Cohibere tamen nos non possumus, quin pauca addamus contra aliquos
Ma-

ac nostram immaterialem esse contendunt; quorum tamen sententia multis, magnisque difficultatibus obnoxia est. Certe Pythagoras, Plato, Anaxagoras, alique veteres hoc solum discrimen inter belluas, & nos posuisse videntur, ut illæ defectu organorum loquela orbatæ sint. Porphyrius tamen loquelam etiam brutis concessit in libris *de abstinentia*, eamque intellectam fuisse fabulatur a Melampo, Tiresia, Thalete. Nec defuerunt, qui eas & rationales, & immortales esse somniarent; cujus amentiam accusatus est Dan. Sennertus Medicinæ Professor in Academ. Wittembergensi, contra quem ita Freitag Medicus, & Professor Groningensis facete ludebat: *Plaudite oves, & boves, lupi, & scarabei, & vespæ, & quidquid uspiam crabronum est;*

Vita equidem vestris animis a funere restat,

Restat & in corpus posse redire novum &c.

Longum esset dicere de aliis magnorum hominum magnis deliramentis, quorum aliqui & prudentiam, & justitiam, & alias virtutes, immo & Dei cognitionem, ac cultum brutis concedere non dubitarunt: quæ hominum paradoxa dum mente recolimus, minus fortasse absurda videri poterit opinio P. Bougeant, qui in suo libro *Amusement Philosophique sur le langage des bêtes* in corporibus brutorum, velut in carceribus dæmones inclusos esse, nescio, an jocando, an serio probare conatus est. Eum tamen alter ipsius concellitæ præcesserat P. Fluriau, si fides est Keranflechio *dans la suite de l'essai sur la raison avec un nouvel examen de l'ame des bêtes*. Plura curiosis suppeditabit eruditus P. Dominicus Pinus Ord. Præd. in
sue

Materialistas, qui nostras cogitationes, judicium, & ratiociniam nihil aliud esse volunt, quam meras sensationes (e). At vero communi hominum sensui, atque intimæ nostræ conscientiæ nuncium remittere opus est, ut credamus, vim cogitandi, judicandi, ac ratiocinandi a sensatione non differre, quam externa objecta in
no-

suo Tractatu de *essentia animæ belluarum* Mediol. 1766, quem triennio post perdocta appendice vindicavit. Bælium autem, qui in art. *Rorarius* multa more suo assert, ut contra Scholasticos evincat, concessa semel brutis aliqua cognitione, non posse amplius eorum animam a nostra *essentialiter* distingui, solide confutavit P. Moniglia in *Dissert. contra Fatalistas* P. II. sect. 4, ubi qualis sit in brutis cognitio, ratiocinatio, & libertas, perspicue explicat.

- (e) Hujus paradoxii femina in nonnullis articulis *Encyclopediæ* sparsa studiose colligere, atque evolvere nisus est Helvetius in impio suo libro *de l'esprit*, in quo tamen non spiritus essentialiam, & proprietates exponit, ut titulus promittere videbatur; sed potius omni spiritu exploso solum *materialismum* statuere conatur. Multiplices hujus libri errores palam fecit, & refutavit Abraham Joseph de Chaumeix Tom. III. *des préjugés legitimes contre l'encyclopedie*, qui etiam non dubitat, librum Helvetii mutato titulo appellare *le livre de l'extravagance*. Videri etiam potest P. Tho. Maria Carboni Tom. I. *Theol. nat.* Lib. II. Quæst. 5. art. 8, ubi fuse juxta, ac solide Helvetii sophismata detegit, & refellit.

112 *Animus hominis est incorporeus*

nobis excitant. Quisquē enim sibi conscius est, esse in nobis vim aliquam superiorem, qua sensationes ipsas invicem conferre possumus, de iis judicare, unam alteri præferre, immo eas quandoque ut falsas repudiare. Neque hoc solum, sed supra sensationes altius se evehere mentem nostram, atque ideas rerum universalium, spiritualium, immo ipsius Dei sibi efformare (S. XXIII.), quæ omnia quantum distent a sensationibus, cæcus est, qui non videat.

Exponitur
difficultas
ex commercio
animæ
cum corpore.

XXVII. Fateri demum hoc loco oportet, quam facile est ex nobilioribus animæ operationibus eam incorpoream definire, ita admodum difficile captu esse, quomodo hæc substantia incorporea in corpus agat, illudque pro arbitrio suo regat, ac moveat; multoque difficilior explicare, quomodo corpus pro modulo suo agat in animam, eamque excitet ad doloris, voluptatis, gaudii, iræ &c. sensationes. Quæstio hæc est, quæ eruditorum ingenia jam diu torquet, nec ullus hactenus omnem tollere potuit difficultatem. Admiranda hic est omnipotentia Dei, qui ut solus potuit animum hominis incorporeum ex nihilo creare, ita etiam potuit, & voluit eum corpori organico, tanquam ejus
for-

formam copulare, ut mutuus intercederet inter utrumque influxus. Quamquam autem, hujus influxus modus nos latet, nihil tamen hæcenus allatum est, & nihil afferri posse credimus, quo probetur repugnare, ut anima, quæ corpus virtute sua continet, & vivificat, aliquos in eo motus excitet; & vicissim corpus tamquam animæ minister impressiones ab externis objectis receptas eidem communicet (f).

XXVIII.

(f) Communis Scholasticorum sententia de mutuo influxu physico animæ in corpus, & vicissim corporis in animam nimis obscura & difficilis visa est recentioribus Philosophis; unde novas ad explicandum commercium animæ cum corpore hypotheses magno studio inquisiverunt. Cartesiani, nec animam in corpus agere, nec vicissim corpus in animam, pro certo habentes, arbitrantur, Deum ipsum ad animæ imperium producere motus in corpore, eademque ratione positis quibusdam in corpore motibus sensationes in anima procreare: quo quidem in systemate anima non est causa vera, & propria, sed duntaxat occasionalis motuum corporis; & similiter motus corporis non nisi causa occasionalis sunt perceptionum animæ. Huic systemati, quod Malebranchius admodum illustravit, præter alia multa illud fuit objectum: *Deus in machina*; quia nempe facillimum est, omnia ope Dei ita explicare. Acutissimus Leibnitijs novam, & ingeniosam hypothesin

Alia difficultas, quod anima vices corporis subbeat.

XXVIII. Difficile est etiam explicatu, quomodo anima, si incorporea est, omnes tamen corporis vicissitudines subbeat; ita, ut in infantibus vix aliud præstet, quam vegetare, & sentire, crescat autem in adolescentibus, vigeat in ætate virili, decrescat in senectute, langueat in ægrotis, infaniam in amentibus, & in apoplexia omni prorsus sensu careat.

XXIX.

sim, aut potius fabulam ad hoc mysterium philosophicum referendum adinvenit, contendens animam, & corpus esse duo automata a se invicem omnino independentia; quorum quodlibet vi suæ constitutionis interrupta serie in proprios actus erumperet: Deum autem infinita sua sapientia hæc duo automata ita simul conjunxisse, ut omnibus volitionibus animæ totidem motus in corpore *harmonice* responderent; & vicissim motibus corporis animæ perceptiones: quæ proinde hypothesis *harmoniae præstabilitæ* nomen sortita est, in qua proprie commercium animæ cum corpore non explicatur, sed potius negatur, Non est hujus loci, argumenta, quæ tam Cartesianorum, quam Leibnizii hypothesebus objecta sunt, expendere; quemadmodum etiam nostra modo non interest, antiquum *insfluxus physici* systema vindicare. Concludimus tantum ex his omnibus, ex quo modus nos lateat, quo commercium inter animam, & corpus exercetur, Materialistis jus non esse inficiandi animum hominis esse incorporeum. Sexcenta enim præsto sunt exempla, quibus ostenditur, rerum existentiam negandam non esse, quia modum, quo fiunt, ratio humana hæcenus indagare non potuit.

Enodatur.

XXIX. Porro quanta quanta sit hæc difficultas, quæ ab Epicureis jam olim proposita fuit, conturbare tamen nos non debet, postquam ex nobilioribus animæ operationibus eam immaterialem prorsus esse certo certius cognovimus. Quod autem subeat corporis humani vicissitudines, oritur ex ipsius intima conjunctione cum corpore, qua fit, ut quamquam ab ejus organis in intelligendo, & volendo proprie non dependeat, dependeat tamen ab ipsis tanquam ministris in hauriendis sensationibus, atque in rerum phantasmatis sibi efformandis. Ceterum haud raro experimur, corpore etiam infirmo, & senectute pene confecto animum esse vivacissimum, suasque spirituales functiones mirifice exercere; ut proinde liquido constet, ejus naturam a corporis natura omnino differre, atque animum continere corpus, non a corpore contineri.

XXX. SCHOLIUM. Etsi contra Materialistas sola ratione animum hominis incorporeum esse demonstratum est, non erit tamen inutile, hanc eandem veritatem ex principiis fidei breviter ostendere; non quidem contra nostri ævi Pseudo-philosophos, qui hæc non curant, sed

Animum hominis esse incorporeum divina revelatio luculenter confirmat.

116 *Animus hominis est incorporeus*

unice propter eos, qui supernam Dei revelationem admittentes libenter vident rationis argumenta irrefragabili nostræ fidei testimonio confirmari. Plane nihil frequentius in SS. litteris, quam animum nostrum vocari *spiritum*, & quidem per oppositionem ad corpus; ut cum Apostolus ad *Galat. V. 17.* dicebat: *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*; & Christus moriturus *Luc. XXIII. 46.* clamavit voce magna: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*; ac denique ad veritatem suæ resurrectionis comprobendam ita provocabat discipulos *Luc. XXIV. 31. Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Hinc Innocentius III. una cum Concilio Lateranensi in cap. *de summa Trinitate, & fide catholica* inquebat: *firmiter credimus quod Deus de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Recolantur, quæ in *Theolog. dogmat. P. IV. cap. 7. §. 56.* de Angelorum incorporeitate dicta sunt. Et de hac

hac quæstione pro nostro instituto satis
(g). Nunc de animi libertate.

C A P U T II.

De hominis libertate.

XXXI. **N**ostræ ætatis Pseudo-philosophi, qui animum hominis corporeum esse contendunt, consequenter etiam docent, ipsum esse omnis libertatis expertem. Ita Spinoza, Hobbesius, Helvetius, auctor *systematis nature*, & ceteri Materialistæ, quos superiori capite confutavimus. Sed præter hos alii semper fuerunt humanæ libertatis hostes, quos eo majori diligentia refellere oportet, quo quæstio hæc maximi momenti est, non solum ad Religionem tuendam, sed etiam ad ipsam societatem conservandam, ut inferius luculenter declarabitur.

Quinam libertatis
osores.

H 3

XXXII.

(g) Innumeri sunt auctores tam veteres, quam recentes, qui animos nostros incorporeos esse demonstrarunt; sed recentiores plerique hanc controverfiam copiofius, & accuratius pertractandi occasionem habuerunt propter incredulos nostri ævi, qui veteres Epicureorum errores fuscitarunt, novisque argutiis, ac sophismatibus communiaverunt.

Quotuplex
libertas, &
quid liber-
tas arbitrii?

XXXII. Porro communi consensu duplex distinguitur libertas, alia *nature*, seu *voluntatis*, quæ coactionem, & violentiam duntaxat excludit, non autem simplicem necessitatem: sic nos bonum in communi volumus, non coacti, necessitate tamen adacti, ita ut malum sub ratione mali velle non possimus. Alia est libertas *arbitrii*, quæ ab omni necessitate absoluta immunis est, & definiri potest *potentia*, *sive facultas ad opposita*, *quatenus iudicium rationis ad diversa se habet*, & *non est determinatum ad unum*. Primam libertatem nemo negare potest, qui voluntatem admittit; repugnat enim, ut voluntas cogatur; vellet enim, & non vellet, quod contradictorium est. Sed libertas arbitrii omni fere ætate osiores, & adversarios habuit (h). Hanc igitur
li-

(h) Antiqui pene omnes ethnici Philosophi, Cicerone teste Lib. *de Fato* cap. 17, *cebant, omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret*. Sed dolendum est, in hanc amenitiam nonnullos etiam Christianorum delapsos fuisse, Marcionitas præcipue, & Manichæos, quos contra veterum Patrum Irenæi, Clementis Alex., Epiphani, & maxime Augustini testimonia frustra ab hac labe purgare nititur Beaufobrius *Hist. des dogmes de Manichée* Lib. VII. chap. 2. Hoc errore etiam Wiclefistas, alios-

libertatem argumentis a ratione ductis vindicabimus; quod multo facilius, atque evidentius effici posset argumentis ex divina revelatione depromptis, si illis aduersarii aurem præbere vellent.

XXXIII. Et quidem validissimum argumentum intima nobis conscientia suppeditat, qua sicuti nos ratione, ita libertate pollere convincimur. Porro quisque sentit, maximum esse discrimen inter eam voluntatem, qua bonum in communi prosequimur, & eam, qua bona particularia volumus. Primum enim ita prosequimur, ut ab eo volendo nulla ratione abstinere possimus; bona autem particularia ita volumus, ut nobis ipsis conscii simus, posse nos ea non velle. Reipsa de iis sæpe consultamus, nonnunquam suspensi hæremus, & tandem deliberamus, quod de prosecutione boni in communi nunquam contingit; quia nempe ad bonum in communi necessitate trahimur, in bonis autem singularibus, quæ aliquam semper habent

Libertas
arbitrii
prob. ex in-
tima con-
scientia.

H 4 ma-

aliosque recentiores hæreticos infectos fuisse constat, multoque magis impios nostræ ætatis Deistas, inter quos libertatem arbitrii majori conatu impugnavit Anton. Collins Anglus in opere, cui titulum fecit *Recherches philosophiques sur la liberté de l'homme.*

mali admixtionem, perfecta fruimur libertate.

Idque magis declaratur;

XXXIV. Hæc res, ut manifestior fiat, opportunum erit considerare non majoris momenti deliberationes, in quibus timere fortasse quis poterit, ab aliquibus fortioribus motivis voluntatem nostram invicte, & necessario determinari; sed aliquas minores, & leviores, quarum nulla alia ratio esse potest præter nostram libertatem. Sic ex. gr. pro meæ libertatis exercitio volo manum movere, eamque dextrorsum, vel sinistrorsum pro lubitu, aut eam in quiete conservare. Neque vero quis regerat, hoc ipsum imaginariæ meæ libertatis exercitium causam esse ad manum movendam me necessario determinantem. Non, inquam; quæro enim, cur hoc motivum me ad motum, eumque dextrorsum potius, quam sinistrorsum necessitate adegerit, cum eandem libertatem exercere potuissem, manu vel in quiete servata, vel ad lævam pulsa. Porro hoc unum exemplum sufficit, ut nostræ libertatis convincamur etiam in aliis rebus, in quibus, quamvis majora appareant agendi, vel non agendi motiva, nunquam tamen talem, ac tantam vim habent, ut voluntas necessario ab iis per-

tra-

trahatur; quia semper alia opposita motiva homo considerare potest, & vel manere suspensus, ut aliquoties fit, vel se ad quam libuerit partem, inclinare.

XXXV. His accedit, homines voluptate affici, quando percipiunt, se verum, ac reale bonum fuisse profecutos; pudore autem, ac pœnitudine, cum peccato passionum æstu se apparens, & falsum bonum elegisse deprehendunt. Qua in re observandum est etiam discrimen inter mala, quæ nobis necessario accidunt, & ea, quæ libere perpetramus; in primis enim dolorem & tristitiam sentimus, sed non conscientia remorsus, & veram, ac proprie dictam pœnitentiam; contra autem nos pudet, & vere pœnitent eorum, quæ libere perpetravimus. Unde autem hoc discrimen, nisi quia & nostræ libertatis conscii sumus, qua potuimus hæc mala declinare, & necessitatis, qua ad alia perferenda adacti sumus; adeoque istorum malorum in nobis ipsis causam cognoscimus, non autem aliorum.

XXXVI. Neque vero nobis persuadebunt adversarii, omnes homines intima conscientia hac in re decipi, quemadmodum eos decipi contingit in aliis multis: sic decipiuntur, qui intimæ conscientia

Atque iterum confirmatur.

Obiectio Spinoza.

sensum duntaxat attendentes se a se ipsis existere, conservari, atque etiam operari arbitrantur. *Sic infans se lac libere appetere credit, puer autem iratus vindictam velle, & timidus fugam. Ebrius deinde credit, se ex libero mentis decreto ea loqui, quæ postea sobrius vellet tacuisse: sic delirans, garrula, puer, & hujus farinae plurimi ex libero mentis decreto credunt loqui, cum tamen loquendi impetum, quem habent, continere nequeant: ita ut ipsa experientia non minus clare, quam ratio doceat, quod homines ea sola de causa liberos se esse credant, quia suarum actionum sunt conscii, & causarum, a quibus determinantur, ignari. Ita Spinoza P: III. Ethicæ in scholio ad propos. 2; ubi etiam somniantium exemplum proponit, quibus ea libere se facere videtur, quæ ex corporis spontaneo motu duntaxat fluunt; & tandem ita concludit: qui igitur credunt, se ex libero mentis decreto loqui, vel tacere, vel quidquam agere, oculis apertis somniant.*

Solvitur. XXXVII, Non, inquam, id nobis persuadebunt; cum potius hæc ipsa argumentum ex intimo libertatis sensu confirment. Quemadmodum enim deceptiones

nes supra enumeratæ ex sano rationis iudicio deteguntur, & corriguntur; ita quia intima conscientia libertatis in aliis pluribus rebus semper constans, & uniformis est, nec unquam falsitatis argui potuit, recte concluditur, illi fidendum esse. Quod nisi fiat, jam non video, quin in apertum, & laxissimum scepticismum incidentes de rerum omnium, ac nostra quoque existentia dubitemus.

XXXVIII. Cum in electionibus, quas præmissis motivorum examine, & post aliquam breviorē, aut longiorē suspensionis moram mens facit, nostræ libertatis exercitium luculenter appareat, illas potissimum oppugnare solent adversarii, contententes, eas ex motivis fortioribus ita pendere, ut voluntas nihil aliud eligere possit, quam reipsa eligit. Si enim, inquit, quod voluntas eligit, rationem habet sufficientem, illius oppositum ratione sufficiente careat, necesse est, adeoque a voluntate eligi non potest; nisi dicamus, aliquid fieri sine ratione sufficiente, quod esset fortuitum casum una cum Epicureis introducere. Quo in loco etiam abuti solent exemplo libræ, quæ majori semper pondere deprimitur.

Alia ob-
jectio ex
principio
rationis
sufficientis.

Quod in
omnibus
admitti non
potest.

XXXIX. At vero hoc rationis sufficientis principium, adeo ab adversariis decantatum, saltem si universaliter accipiatur, a multis, & doctissimis Metaphysicis omnino rejicitur. Et quidem merito, cum plura occurrere possint exempla, in quibus ratio sufficiens eligendi nullum habeat locum: ex. gr. optio alicui detur, unam eligendi ex duabus margaritis A, & B, quas non videt, sed perfectissime æquales esse pro certo habeat, unam profecto seliget sine ulla alia ratione sufficiente, quam pro sua libertate. Fingere autem eum in æquilibrio mansurum, ut de asino Buridani aliqui fabulati sunt, communi hominum sensui, & experientiæ repugnat (1). Multo autem

mi-

(1) Spinoza P. II. *Ethices* in scholio ad prop. 49. non dubitat affirmare, hominem si æque fame, & siti urgeatur, propositis illi in æquali distantia cibo, & potu, cum nulla sit ratio, cur potius a cibo incipiat, quam a potu, in tali æquilibrio fame, & siti periturum. Multa hac de re disputat pro more suo Bælius in *Diæion.* art. *Buridan* rem. C. Sed S. Thomas missis Philosophorum argutiis huic ipsi difficultati ita respondet 1. 2. Quæst. 13. art. 6. ad 3: *nihil prohibet, si aliqua duo æqualia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, & magis flexatur voluntas in ipsum, quam in aliud.*

minus hoc principium rationis sufficientis videtur habere locum in Deo, quando alia a se liberrime vult. Sane Newtonus, quo nemo solertius naturæ arcana rimatus est, multa esse in hoc universo observabat, quorum nulla prorsus alia ratio esse potuit, quam divina libertas.

XL. Illudere etiam, & nugari cum Collinsio videntur illi, qui in his electionibus ad motiva nescio quæ insensibilia, & imperceptibilia cónfugiunt, & ab hujusmodi motivis nostram voluntatem necessario flecti comminiscuntur. Homo enim non instar ferri est, quod invisibilibus magnetis effluviis trahatur: sibi plane conscius est motivorum, quibus ad aliquid amplectendum, vel fugiendam inclinatur; illa perpendit, inter se confert, & tandem pro sua libertate his potius consentit, quam illis: ac propterea illa motiva imperceptibilia commentitia pror-

Nec admitti possunt motiva insensibilia.

aliud. Ita Angelicus, qui teste Ant. Genuensii *Element. Metaph.* P. ult. n. 13. de libertate *acutissime*, & *ceteris accuratius*, & *solidius* disseruit. An vero principium rationis sufficientis cum libertate humana conciliari possit, nuper in Italia disputatum est; qua de re videri potest P. Manfuetus a S. Felice Augustin. discalc. *de discordia systematis rat. suffic. cum libertate humana.*

prorsus sunt, & nugatoria. Sic etiam frustra aliqui negant, dari entia perfecte æqualia, atque indiscernibilia, in quibus solis liberæ optioni, atque electioni locum esse concedunt. Sit ita (quamquam non omnes huic indiscernibilium principio subscribunt), negari tamen non potest, plura esse, in quibus differentia sit tam exilis, ut a nobis non percipiatur; si autem non percipitur, non potest esse motivum eligendi unum præ alio.

Possumus
diversa motiva
considerare.

XLI. Sed etiam si demus, semper aliquam esse ex parte objecti electionum nostrarum sufficientem rationem, hæc nulla alia erit, nisi bonum, vel malum in eo apparens. Quidquid enim ratio potest apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere potest; & quidquid apprehendere potest ut malum, potest etiam ab eo declinare. Jam vero in omnibus rebus potest homo considerare rationem boni alicujus, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali; & propterea potest unumquodque hujusmodi bonorum apprehendere ut eligibile, vel fugibile. Ita S. Th. 1.2. qu. 13. art. 6. Et ipse quotidianus rerum usus nos docet, pro libertate nostra nos considerare vel motiva, in quibus ratio sufficiens continetur objectum amplectendi,
vel

vel opposita, quibus voluntas ad illud fugiendum inclinatur, quod innumeris exemplis illustrari potest: quibus etiam ostenditur stateræ similitudinem, qua Fatalistæ abutuntur, esse huic rei explicandæ minime aptam; nisi fingamus unius lancis pondus pro libertate nostra augeri, vel minui, vel in lance ipsa aliquod supponatur principium activum, & libere se movens.

XLII. At vero, inquit Collinſius, considerare in objectis diversas boni, vel mali rationes pendet ab impressione, quam ipsa objecta in nobis faciunt, quæque major, vel minor est, prout nostrorum corporum temperies, tum animi nostri habitus, aut affectus diversi sunt; unde videmus, ex eodem omnino objecto in diversis hominibus, immo in iisdem, sed diversis temporibus diversas impressiones oriri.

Objectio
Collinſii.

XLIII. Observandum est tamen, nunquam tantam esse harum impressionum vim, ut nulla in nobis supersit dissentiendi facultas; quia nunquam tales sunt impressiones, ut nobis objectum exhibeant sub omni ratione boni. Hinc haud raro contingit, nos, utut erga aliquod objectum magnopere inclinatos, facta tamen seria quarundam circumstantiarum consideratio-

Solvitur.

ne

ne ab ipso abstinere: semper autem in nostra potestate est, objectum a sensibus propositum diligentius omni ex parte examinare, ut quantum in eo boni, malique sit, perpendamus. Hoc egregie explicat S. Thomas Quæst. 6. de malo, quia cum electiones sint circa particularia, id quod apprehenditur ut bonum, & conveniens, apprehenditur tantum ut bonum, & conveniens in particulari, & non in universali, & potest non esse bonum, vel conveniens secundum aliam considerationem: sicut quod est bonum sanitati, non est bonum delectationi.

Falsum
Hobbesii
ratiocini-
um.

XLIV. Male etiam ratiocinatur Hobbesius, dum in *Leviath.* cap. 21. actiones nostræ voluntatis liberas non esse contendit, quia *suas causas habent, & cause ille alias causas, & sic perpetuo usque ad causarum omnium primam, nempe divinam voluntatem.* Verissimum siquidem est, nos in libertatis exercitio a Deo dependere, a quo libertatem ipsam accepimus: ex quo fit, ut nostra libertas non sit prima, & suprema, sed secunda, Deoque subjecta. Deus tamen efficacissima sua voluntate ita nos movet, ut libere sub ejus motione velimus; quia Dei operatio naturas rerum perficit, non autem

tem destruit. Sed de his plura dicta sunt in *Theol. dogm.* P. II. capp. 15. & 20. ubi ostensum est, Dei præscientiam, & voluntatem rerum contingentiam, humanamque libertatem non tollere, aut minuere.

XLV. Molestè demum sciscitantur aliqui, ubinam libertas nostra exerceatur, cum nihil in nostra potestate sit? Certe, inquirunt, in nostra potestate non est intellectus; tum quia plura sunt, quæ omnino adhibita diligentia cognoscere non possumus; tum quia sæpe fallimur, & nemo est, qui quamvis maxime cupiat, omnes possit declinare errores. Neque in nostra potestate est memoria, cum non possimus recordari, & multo minus oblivisci, quando volumus. Immo nec ipsa voluntas in nostra est potestate; quandoquidem ea adeo mutabilis est, ut nemo sit, qui possit, etiamsi id omnino statuatur, eandem voluntatem immutabiliter diu conservare: alia vult puer, alia adultus, alia senex, & quotidie mutamur. Tandem multo minus in nostra potestate sunt appetitus nostri; cupiditatibus enim abrepti multa agimus, quorum postea nos poenitet, & quorum antea poenituit, iterum facimus.

Non omnia sunt in nostra potestate;

In multis
tamen libe-
ri sumus.

XLVI. Sed hæc omnia frustra obji-
ciuntur; probant enim tantummodo, aut
nostram libertatem certis esse limitibus
circumscriptam, aut magnam in nobis
esse vim passionum, ut nonnisi cum diffi-
cultate eis resistere quandoque possimus.
Si non possum omnia cognoscere, pos-
sum tamen plura, si volo. In multos
labi errores est naturæ corruptæ defectus;
sed qui diligentia, atque industria utitur,
in pauciores incurrit, multosque vitat.
Non est in nostra potestate oblivisci, nec
omnium, quorum volumus, recordari;
quædam tamen sunt ad memoriam exco-
lendam media, quibus possumus pro no-
stra libertate uti. Verbo, multa sunt, in
quibus possumus nostram libertatem exer-
cere, quamvis non omnia posita sint a
Deo in nostra potestate.

Quod am-
plius decla-
ratur.

XLVII. Sic pariter, licet homo per
voluntatem, & liberum arbitrium sit do-
minus sui actus, non tamen est dominus
suarum naturalium potentiarum; & ideo
licet liber sit ad volendum, vel ad non
volendum aliquid, non tamen volendo
facere potest, quod voluntas in eo, quod
vult, immobiliter se habeat. Ita S. Tho-
mas Lib. III. *contra Gentiles*, cap. 155.
Quantacunque autem sit perduellis nostræ
con-

concupiscentiæ vis, posse nos cum auxilio divino illi libere resistere, ex eo ipso apparet, quod, postquam ejus motibus cessimus, nos pudet, ac pœnitet; quod certe non contingit in morbis, aliisque infortuniis, quæ patimur necessitate naturæ, quorum neminem pudet, aut pœnitet.

XLVIII. Eademque fere ratione solvitur aliud Collinsii sophisma, qui omnes hominum actiones, quæ liberæ videri possunt, ad has quatuor restringit, videlicet ad perceptionem idearum, ad judicium de propositionibus, ad volitionem, & ad actionem. Contendit autem in nulla ex his libertatem exerceri; nam imo idæe in nobis ab externa objectorum impressione necessario efformantur: deinde secundum ideas perceptas necesse est, ut judicemus; 3tio prout judicamus, etiam volumus, cum voluntas sit potentia cœca, quæ judicium intellectus sequitur; ac demum ex volitione necessario fluit actio.

Collinsii
objectio.

XLIX. Nihil enim infirmius esse potest hoc argumento, in quo Collinsius non modicam vim ad evertendam libertatem reponit. Et quidem imo falsum est, nos tantummodo ab externis objectis ideas rerum percipere; intellectus enim nativa

Solvitur.

fua vi ideas receptas variis modis versat, conjungit, separat, novas efformat, eademque pro voluntatis arbitrio vel considerat, vel seponit. 2do falsum pariter est, nos semper ex ideis impressis judicare; persæpe enim contingit, ut ratio falsas rerum perceptiones animadvertat, corrigat, & respuat; tum ut alias aliis præferat &c. 3tio volumus, & agimus, prout judicamus judicio practico, quod in nobis liberum est; non autem judicio mere speculativo; unde illud: *video meliora, proboque, deteriora sequor*. Ut enim S. Thomas recte observat I. P. Quæst. 83. art. 1, judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari, sed ex collatione quâdam rationis, & ideo judicium rationis ad diversa se habet, & non est determinatum ad unum.

Communis
hominum
sensus de
libertate
non falli-
tur.

L. COROLL. I. Ex quo nullius momenti sint, quas Fatalistæ opponunt, difficultates, nova vis additur argumento, quo superius (§. XXXIII.) ex intimo nostro sensu liberos nos esse probavimus; nihil enim ab adversariis allatum est, quo intimus hic noster sensus erroris arguatur. Neque vero privatus duntaxat uniuscujusque, sed communis plane omnium sensus in hanc de plena hominis libertate sententiam

tiam concordissime conspirat. Hinc illæ ideæ justi, & injusti, meriti, & demeriti, præmii, ac pœnæ, laudis, ac vituperii &c., quæ vanæ, & ridiculæ prorsus essent, nisi in homine veram esse libertatem supponerent. Quæ quidem, ut omnibus nota esse ostenderet S. Augustinus, dicebat in libr. *de duabus animabus* cap. I I. *nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & antistites in sacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Hinc etiam justa supplicia a Magistratibus in reos decreta sunt; non tantum ut isti humanæ societatis hostes de medio tollantur, ut fit cum lupis, aliisque fero-cibus belluis, quod Spinoza supponit; sed etiam ut paucorum supplicia alios ab impiis facinoribus absterreant: quod quidem inutile esset, si homines arbitrii libertate non pollerent. Has porro notiones cum semper, & ubique viguisse consideramus, inconstantiam Fatalistarum, eorumque mutuam sibi ipsis repugnantiam satis mirari non possumus.

LI. - COROLL. II. Hinc etiam sequitur, non falli homines, quando sibi certo persuadent, nullum esse bonum, aut malum

Sine libertate nullum meritum, & demeritum esse potest.

morale sine libertate; quamobrem actiones puerorum ante usum rationis, dormientium, aut amentium nunquam ad meritum, vel demeritum imputatæ fuerunt. Absurdissimum autem paradoxum Collinfilii est, dum asserere non dubitat, nos, nisi dolore, vel voluptate *neccessario* moveamur, nullam amplius habituros boni moralis, aut virtutis ideam, nullumque motivum, a quo in bonum inclinemur; immo nobis persuadere conatur, ablata semel necessitate, multo majorem futuram malorum colluviem; homines enim, si liberi sunt, poterunt facilius præmiis supplicia præferre. Ad hæc paradoxa confutanda satis est communem experientiam consulere; homines enim, paucis exceptis Fatalistis, se liberos esse certissime credunt, nec tamen propterea aut virtutis, & vitii ideas amiserunt, aut nulla sentiunt motiva ad bonum amplectendum, malumque fugiendum. Multo potiore jure nos Fatalistis objicere possumus, explosa semel hominis libertate, nullum esse vel scelestissimum, qui se excusabilem esse non dicat, totam scelerum suorum culpam in fatum rejiciens,

LII. COROLL. III. Illud etiam Fatalistis considerandum proponimus, in hac necessitatis insuperabilis hypothesi, aut atheismum cum Spinoza ipsis profitendum esse, quæ summa est impietas; aut si Deum mundi hujus opificem, & gubernatorem fatentur, eum etiam ut omnium malorum causam accusari debere; hæc enim ab inevitabili fati catena pendent, cujus annuli in manu Dei sunt; & sic in Deum refundenda erunt omnia furta, stupra, adulteria, homicidia, sacrilegia, perjuriam &c., quod dictu horrendum est (k). Et magis etiam horrendum, quod ex hac doctrina *fatalismi* consequitur, Deum hæc ipsa crimina, quorum auctor est, magnis, æternisque suppliciis punire.

Posito fate aut Deus non est, aut auctor peccati dicendus.

LIII. COROLL. IV. Ex hæcenus dictis facile ea omnia refelli possunt, quæ impius auctor *system. nature* cap. XII. sui I. tomi ad libertatem evertendam congeffit; pene enim omnia sunt ab aliis Fa-

Auctoris system. nature paradoxæ exponentur

(k) Hæc fuit intolerabilis Prædestinatianorum blasphemia, quam Calvinus, & qui Calvinus adherent *Supralapsarii* admittere non verentur, ut in *Theol. dogm. P. altera* a doctissimo P. Jos. Bertieri explicatum est cap. 3. §. 197. & seq. Ab hæc tamen execrabilis magistri sui doctrina Calviniani recentiores pene omne recefferunt.

talistis corrasa, & ad nauseam usque repetita. In eo tamen pejus aliis delirat, quod evincere nititur, etiam posita fatali naturæ necessitate notiones iusti, atque iniusti, boni, & mali, meriti, ac demeriti factas tectasque manere, quia istæ notiones non ab hominum libertate, sed a naturæ necessitate dependent; eademque ratione tolli non posse conscientiæ remorsus, quibus impii lacerantur.

Et refelluntur ex distinctione causæ necessariæ, & liberæ.

LIV. Delirat, inquam; nisi enim velimus omnes prorsus hominum ideas pervertere, manifestissimum est, huiusmodi notiones nullas prorsus esse sublata libertate. Quænam enim amabo erit distinctio inter lapidem, qui necessitate naturæ ruens hominem occidit, & latronem, qui hoc idem flagitium perpetrat ad eum exspoliandum? Anne lapidem eodem modo ac latronem vocabimus injustum, & impium? anne ipsum non secus, ac latronem supplicio dignum arbitrabimur? Rursus, cum videamus, a Principibus, & Magistratibus hominum delictis debitas esse constitutas pœnas, ut omnes admoneantur iustitiam discere, credemusne, nihil aliud ab ipsis præstari, quam quod fieri solet ad fluvios continendos, ne exundent, vel ad ædificia sustentanda, ne ruant?

Ipsa

Ipsa experientia, quæ ostendit, supplicia criminibus constituta non semper sufficere ad homines in officio continendos, ostendit etiam, in istis esse libertatem, quæ in rebus naturalibus non invenitur; nec Brutum, qui Cæsarem occidit, merum fuisse naturæ instrumentum, ut merum instrumentum fuit pugio, quo ille ad paricidium usus est.

LV. Communibus etiam notionibus repugnat, quod iste auctor fingit, non aliunde meritum, vel demeritum desumi, quam ex effectibus, ut nempe illos tantum de societate bene mereri existimemus, qui illi profunt, male autem, qui nocent. Omnibus enim persuasum est, eos etiam bene mereri, qui conantur, quoad posunt, aliis benefacere, quamvis hujus conatus effectus aliunde impediatur; & male eos mereri, qui nocere conantur, etiamsi prava eorum voluntas effectu careat: sic reus certe homicidii ille habitus fuit, qui Jasonem Pheræum occidere volens *gladio vomica* ejus aperuit, quam sanare medicus non poterat, ut Cicero narrat Lib. III. *de Natura Deorum*. Hinc eorum etiam crimina legibus puniri novimus, quorum mala voluntas ad effectum perducere non potuit; & con-

Tum quia sola etiam voluntate possumus bene, vel male mereri.

tra ea esse impunita, quæ a libertate non procedunt; ut in furiosis, quos quidem vinculis coerceri videmus, ne noceant, non autem puniri, quia nocuerunt. Quæ omnes notiones evertendæ omnino sunt, si hujus Fatalistæ systema verum est; & dicendum, nullum esse inter improbos, & furiosos discrimen, immo universum hominum genus nonnisi stultorum massam esse, quorum aliqui sine ratione, sed necessitate naturæ leges ferant, alii eadem necessitate legibus pareant, alii denique eodem semper fato eas violent, nec tamen propter earundem violationem proprie puniantur, sed solum phreneticorum instar, ne aliis noceant, impediuntur. Aut ergo ille insanit, aut insanimus omnes.

Alia hujus
systematis
absurda.

LVI. Mitto plura alia hujus *systematis absurda* brevitatis gratia, & unum duntaxat addendum puto. Dicit illius auctor, posito ineluctabili naturæ fato omnia eadem ratione eventura, ac in hypothesi nostræ libertatis; unde colligit ex suo systemate nullum societati nocuum afferri. Verumtamen non considerat, si semel falsa ejus opinio apud homines præsertim rudes invalesceret, magnam inde secuturam, & irreparabilem so-

societati perniciem; quilibet enim flagitiosus se excusabilem reputaret, dum non propria libertate, sed insuperabili fati necessitate ad crimina perpetranda se adactum arbitraretur. Et quamvis demus, eum non propterea posse statutas a legibus pœnas effugere, saltem sibi persuaderet, nulla apud Deum se culpa obligari, qui, ut ipse auctor docet, actiones necessarias punire non potest: unde frœnum omnium maximum criminibus tolleretur. Nos potiori jure possemus Fatalistis regerere, nostram libertatis opinionem, etiamsi falsa esset, nullatenus societatis bono officere; ea enim posita naturæ ordo, qualis nunc est, nullam vel minimam mutationem subibit, cum nostræ libertatis opinio æternas fati leges turbare non possit; perutilem autem futuram, si vera est; nostris enim consiliis, exhortationibus, præmiis, & pœnis posse multa mala impediri, multaque bona societati procurari.

LVII. Nec illud demum prætereundum est, quod auctor iste nunquam sibi constans in fine addit; scilicet, aut inviolabilibus inexorabilis fati decretis cololum patienter subdendum esse, aut si ejus duritiem ferre non possumus, januam, qua liberemur, semper nobis esse apertam,

Auctoris
inconstan-
tia, & execrabile ejus
consilium.

no-

nobis ipsis violentam mortem consciscendo. In hoc infausto remedio necessitatis oblitus esse videtur, & præclarum sane specimen exhibet, quantæ utilitatis ejus systema societati futurum sit. Sed de ejus absurditate, ac de tota hac quæstione pro nostræ brevitatis methodo fati (1).

C A P U T III.

De animi humani immortalitate.

Materiali-
starum sy-
stema de
animorum
nostrosum
interitu.

LVIII. **N**ihil est, aut gratius bonis, aut terribilius malis, quam dogma immortalitatis animi nostri. Quemadmodum enim illi in hujus vitæ ærumnis magnam habent in futuræ mercedis spe

-
- (1) De qua præter Scholasticos, quorum plerique eam subtiliter juxta, atque accurate pertractarunt, ac præcipue S. Thomas L. P. Quæst. 83, tum Quæst. 6. *de malo*, & Lib. II. *contra Gentiles* cap. 48, & alibi, legi possunt citatus sæpius P. Monigla in *Dissert. contra Fatalistas*, *Examen du Fatalisme*, & P. Cerboni *Theol. nat.* Lib. II. Quæst. 5. art. 6, ubi Spinozæ, Hobbesii, Collinfi, Helvetii, ac Bælii difficultates omnes fufe expendit, ac nerveose resolvit. Contra auctorem autem *syst. nat.*, qui serius in aciem prodiit, consuli possunt Valsecchius in *Religione viærici*, Bergier *Examen du Materialisme*, & Holland *Reflexions philosophiques sur le système de la nature*.

spe consolationem, dicentes cum S. Paulo, II. *Corinth.* IV. 17. *quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*; ita improbis nulla esse potest in deliciis, quibus affluunt, plena, & sincera voluptas, cum recordantur, sibi in altera vita reservatas esse fuorum criminum pœnas. Unde ad alterius vitæ metum deponendum sic eos hortabatur Lucretius Lib. III. *de rerum natura*:

Et metus ille foras præceps Acherontis agendus,

Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,

Omnia suffundens mortis nigrore, nec ullam

Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.

Cujus consilii memores nullum non movent lapidem, ut animæ immortalitate rejecta, sibi unum, eundemque cum jumentis interitum futurum esse confidant. Horum stultis conatibus obsistendum est, ac sin minus evidentissimis demonstratibus, quales nobis divina revelatio supeditat, gravibus saltem momentis animos nostros esse corpori superstites, ac

præ-

præmiis, vel suppliciiis obnoxios ostendendum.

Refellitur
consensu
antiquita-
tis.

LIX. Et primo quidem tanta semper fuit a priscis usque temporibus de animi immortalitate omnium gentium consensio, ut Cicero Lib. I. *Tuscul. Quæst.* hæc dicere non dubitaverit: *maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare. Nescio, quomodo inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis, altissimisque animis, & existit maxime, & apparet facillime permanere animos arbitramur consensu nationum omnium.*

Nec obsunt
fabulæ veri-
tati animo-
rum im-
mortalita-
tis adjunctæ.

LX. Hanc immortalitatis veritatem, quæ, ut credere par est, a primis nostris patribus in omnes gentes dimanaverat, aliquibus erroribus deturpatam invenimus, ut fuerunt falsæ opiniones *metempsychosis*, tum illæ superstitiones *apothæosis*, & *necromantiæ* (de quarum antiquitate late differit Bekkerus, in suo *mundo excantato* Lib. I.) ac denique fabulæ elysiorum, tartari, stygis, acherontis, Minois, Rhadamanthi, aliæque id genus, quæ apud Homerum, immo apud Poetas Homero antiquiores Musæum, Linum, atque

que Orphæum sæpissime occurrunt. At vero hæc omnia addititia, & fabulosa commenta antiquissimæ, & universali nostræ immortalitatis persuasioni minime obsunt (m). Immo huic persuasioni ii quoque subscripserunt, qui animum nostrum non omnino incorporeum esse putabant; in eo enim a nostris Materialistis maxime dissentiebant, quod animum utut corporeum, a corpore hoc visibili, & palpabili distinguerent, eumque & corpus vivificare, & corpore dissoluto perennem superesse credebant (n).

LXI. Communis insuper juxta, ac antiqua fuit hominum persuasio retributionis bonorum, ac malorum in altera vita, cuius
Communis traditio retributionis in altera vita.

(m) De qua legi possunt Dan. Huetius in *Quæst. Aknet.* Lib. II, cap. 8, Jo. Franc. Finetti de *Princ. Juris Nat. & Gent.* Lib. IV. cap. 2., Grotius Lib. I. de *Verit. Relig.* §. 22, Morinus in *Dissert. de l'usage de la priere pour les morts parmi les Payens* Tom. II. de *l'Hist. de l'Acad. Roy. des Inscript.*, & David Millius in *Dissert. de Fab. Oriental.*, & de *Mohammedismo ante Mohammedem.*

(n) Ita nonnulli veterum Ecclesiæ Patrum, qui involucrum nescio quod corporeum, aut velum animæ tribuebant, ut in eo a corpore separata subsisteret. Aliquid simile ex recentium Philosophorum doctrina memorat Holland in *Reflex. philos. sur le système de la nature* Tom. I. ch. 13.

jus perpetua mentio invenitur, non solum apud Poetas, sed & apud Philosophos, Historicos, aliosque veteres scriptores; quod multis Timœi Locrensis, Polybii, Strabonis, Plinii, aliorumque testimoniis luculenter ostendi potest. Qua in re præsto etiam sunt vetustissimæ inscriptiones sepulchrales Græcorum, Latinorum, atque Hetruscorum, quibus grati posteri animabus defunctorum bene precabantur; quod plane significat, iis persuasum fuisse, & defunctorum animas vivere, & præmii, vel pœnæ esse capaces. Multæ hujusmodi inscriptiones leguntur apud Gruterum, Muratorium, aliosque earum collectores.

Aliqui tamen ei repugnarunt.

LXII. His tamen non obstantibus ingenue fatendum est, non paucos, nec ignobiles fuisse veteres Philosophos, qui huic veritati repugnarent; nam Cicero Lib. I. *Tuscul. Quæst.*, postquam multa ad animi immortalitatem comprobendam attulisset, ita subdit: *catervæ veniunt contradicentium, nec solum Epicureorum, sed nescio, quomodo doctissimus quisque contemnit.* Immo Tullius ipse, teste Lactantio Lib. VII. *divin. instit.* expositis omnium de immortalitate, ac morte sententiis, nescire se, quid sit verum, pronun-

nuntiavit. Notum est etiam, totum illum Epicureorum gregem nonnisi hujus vitæ voluptates consecratum fuisse. Stoici, nobilissima Philosophorum secta, admodum hac in parte dubii, & inter se divisi erant; Cicero enim Lib. I. *Tuscul. Quest.* ita eorum sententiam exponit: *ajunt, manere animos, cum a corpore excefferint, sed non semper*; quos propterea jure, meritoque inconstantia arguit, cum nulla sit ratio, ut anima a corpore sejuncta aliquo tempore vivat, non autem semper: qua de re videri etiam potest Eusebius Lib. XV. *Prepar. Evang.* cap. 20. Alii tantum animas bonorum post universalem mundi conflagrationem esse iterum quasi suscitandas, & una cum natura renovandas censebant, ut videre est apud Senecam in Lib. *de Consolat. ad Marciam*. Pantheistæ demum animas hominum post corporis dissolutionem animæ mundi universali, vel divinæ naturæ, unde emanaverant, iterum conjungi arbitrabantur. Ita Philosophi supernæ revelationis lumine destituti aut veritatem quasi palpando attingebant, aut a communi hominum traditione recedentes eam amittebant. Nos felices, qui superno hoc divino lumine illustrati & antiquam

Gazzan. Theol. pol. K tra-

traditionem sequimur, & illius etiam solida fundamenta videmus.

Hæc opinio
non fuit a
Politiciis
inveſta.

LXIII. Hanc antiquam hominum traditionem negare non audent adverſarii noſtri; ſed ad eam enervandam fingunt, eandem ortam fuiſſe a callida Legislato- rum, ac Politicorum impoſtura, qua fa- cilius improbi in officio continerentur, probi autem ad virtutem majores habe- rent ſtimulos (o). Sed vaniſſimum hoc effugium vel ex eo ſolo præcluditur, quod vetuſtiſſimam hanc eſſe hominum perſuaſionem obſervabat Cicero ſupra (§. LIX.) laudatus; & Plutarchus in *Orat. conſolat. ad Apollonium* adeo antiquam eſſe dicebat, ut *quo tempore, & quo auctore ceperit, plane ignoretur* (p). Accedit, eam inventam eſſe, & adhuc inveniri apud illas barbaras nationes, quæ nullis unquam legibus, aut politicis inſtitu-
tio-

(o) Id ſæpius inſinuant noſtri increduli poſt Bo- lingbrokium Tom. V. *Operum*, quia, ut inquit Cicero, *multos divini ſupplicii metus a ſcelere revocavit.*

(p) Tradit quidem Laertius, Græcos de animorum immortalitate fuiſſe a Thalete edoſtos, & Cice- ro hujus doctrinæ gloriam tribuit Pherecidi Sy- rio, Maximus autem Tyrius Pythagoræ, & Athe- næus Homero, Sed id intelligendum eſt de hujus dogmatis illuſtratione, aut demonſtratio- ne, non de prima origine, quam his omni- bus multo antiquiorem ipſi confeſſi ſunt.

tionibus excultæ fuerunt, ut proinde ejus origo non aliunde, quam a natura, & Majorum traditione repeti possit.

LXIV. Multo autem infelicius conjectatur auctor *System. nat.*, ideam immortalitatis ex eo natam, quod homines in hac vita felicitatis, & infelicitatis experimentum habentes facile sibi persuaserunt, hæc etiam post mortem duratura; unde postea ortæ sunt fabulæ elysiorum, & tartari apud Ethnicos, paradisi autem, & inferni apud Christianos. Hæc futilis conjectura, præterquam quod fundamento carens se ipsa ruit, ex eo etiam rejici potest, quod si homines ea duntaxat, quæ nobis in hac vita accidunt, considerare voluissent, facilius poterant cum Epicureis concludere, animam & cum corpore nasci, & cum corpore extingui. Potius itaque credendum est, doctrinam immortalitatis animi ad primitivam religionem a Deo revelatam pertinere, post autem traditione propagatam, ac demum Philosophorum ratiociniis confirmatam semper magis, ac magis viguisse, ut timendum non sit, posse aliquos minutos Philosophos suis argutiis, ac paralogismis eam ab hominum cordibus avellere.

Infelix numeri auctoris conjectura.

Animæ im-
mortalitas
probatur
ex simplici
ejus natura.

LXV. Et sane si animam nostram consideremus, qualem supra (cap. I.) exposuimus, incorpoream nempe, & inextensam, partibusque omnibus carentem, quis statim non videat, illi immortalitatem natura sua deberi? Neque enim perire potest propter corporis dissolutionem, quia illi non inhæret tanquam accidens subiecto, sed potius illud continet, & vivificat, tanquam ejus forma *per se* subsistens; Neque etiam interire potest ex partium suarum dissolutione, quomodo omnia corpora interire videmus; nam substantia est omnino simplex, & pura monas. Non itaque alia ratione interire posset, quam annihilatione; nullum autem agens creatum res in nihilum redigere potest; sed solus Deus, qui eas e nihilo extraxit. Hoc argumentum ita proponebat Cicero Lib. I. *Tuscul. Quest. In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac direptus earum partium,*
quæ

quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.

LXVI. Hæc cum ita sint, nullum Quam non-nisi Deus destruere potest. aliud superesse potest de animæ immortalitate dubium, nisi an Deus, qui illam ex nihilo creatione extraxit, velit etiam in nihilum post corporis dissolutionem redigere. Qua in re imo consideramus, Atheos saltem, qui Deum esse negant, & Epicureos, qui eum res humanas curare non credunt, non posse amplius de animæ immortalitate dubitare. Deinde qui supernam revelationem agnoscunt sacris litteris, ac SS. Patrum traditione contentam, certo certius de animæ immortalitate convinci poterunt; cum nihil frequentius, & clarius nobis repetatur, quam bonorum, & malorum in futura vita justissima retributio.

LXVII. Uni igitur restant Naturalistæ Destruere autem nolite ostenditur. Dei existentiam, & providentiam confidentes, supernaturalem autem revelationem negantes, qui dubitare possint, an Deus velit animas a se creatas post mortem corporis in pristinum nihil redigere. At vero si isti naturali saltem rationis lumine Dei bonitatem, atque justitiam considerare velint, facile videbunt, nihil minus verisimile esse, quam Deum summe

& infinite bonum, & justum velle animas rationis, ac meriti capaces corporibus unire, ut eas cum corporibus iterum destruat. Præcipue cum quotidiana experientia nos doceat, sæpius contingere, ut in hac mortali vita nec boni digna suarum virtutum præmia recipiant, nec mali juste pro meritis puniantur, nihil magis rationi conforme videtur, quam alteram vitam expectare, in qua bene bonis, male autem malis sit. Hæc erat S. Pauli, hæc est justorum omnium spes; si enim, inquiebat Apostolus I. *Corinth.* XV. 19, *in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Nec valet
brutorum
exemplum,
quia ratio-
ne, & liber-
tate non
pollent.

LXVIII. Non me latet, huic naturali rationi illud objici solere, quod animæ brutorum a Philosophis bene multis præsertim recentioribus statuantur spirituales, nec tamen immortales. Verumtamen quidquid sit de hac sententia, quam ego post viros doctissimos probare nequeo, illud semper magnum superest discrimen, quod animæ brutorum neque rationis, neque libertatis proprie dictæ compotes sint, adeoque nec meriti, vel demeriti capaces. Quamobrem pro iis non illa militat ratio, quæ pro homine, ut scilicet

cet Deus pro justitia sua debeat illorum bonis, vel malis operibus præmia, aut pœnas retribuere, aut in hac, aut in altera vita. Quod discrimen, ut recte notavit Lactantius Lib. VII. *Divin. instit.* cap. 9. etiam Marcus Tullius vidit, ex eo æternitatem animæ nostræ ita colligens, *quia nullum sit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam Dei, religioque sit pene sola* (aut saltem præcipua), *quæ hominem discernat a mutis.* Pergit postea Lactantius, & cum Trismegistro *θεωγία* hominis advertens, qua recto corpore, vultuque sublimi, secus ac bruta, cœlum perpetuo intuetur, hinc etiam colligit, animam nostram, non autem brutorum debere esse immortalem.

LXIX. Accedit, animam nostram iis esse facultatibus donatam, quibus possit & verum in tota sua latitudine contemplari, & bonum prosequi: cum autem in hac vita duobus istis sibi maxime propriis muniis nonnisi imperfecte fungi queat, ut experientia nos docet, sperandum jure meritoque nobis est, esse alteram bonis reservatam vitam, in qua & summam veritatem, dissipatis nebulis, aperta facie intelligere, ac contemplari, & infinitum bonum, omni deceptione sublata, con-

Nec verum, aut bonum in universali proficiuntur.

stanter amare, eique indivulſe adhærere poſſint. Qua quidem in re maximum rurfus diſcrimen apparet nos inter, & bel-
 luas, quæ ſenſationibus, & quibusdam imperfectis perceptionibus donatæ quidem ſunt, non autem ſublîmi illa veri, & boni cognitione, quam in nobis experimur. Quo fit, ut facile quiſque intelligat, brutorum animas, cujuſcunque tandem generis illæ ſint, nonniſi eorum corporibus vivificandis eſſe deſtinatas, noſtras vero, exutis corporibus, in æternum victuras, ut in Dei contemplatione, & amore, ſi id promeritæ fuerint, beatiffimam & perennem vitam tranſigant. *O Chriſti amator*, appoſite ajebat S. Athanaſius in fine orationis *contra Gentiles*, *gaude, & certo ſpera, tuæ pietatis, & fidei fructum fore immortalitatem, & regnum cœlorum.*

Anima ſe-
 juncta a
 corpore
 ſuas opera-
 tiones ha-
 bere poteſt.

LXX. Neque enim, ut Materialiſtæ opinantur, anima noſtra ita in intelligendo, ac volendo a corporeis organîs dependet, ut illis orbata nihil amplius agere queat; nam ſenſus intimus nos docet, plures in nobis excitari ideas, quas independenter a corpore anima ſibi ipſi creat, plura deſideria, plures volitiones; ut omnino concludere debeamus, vim intel-

telligendi, & volendi ita animæ inesse, ut etiam sejunçta a corpore eam exercere valeat; & quidem felicius, ac liberius, utpote illis impedimentis soluta, quæ identidem eam in hoc statu turbare solent. Immo etiam in quibusdam corporis infirmitatibus animum magis vigere, majorique intelligendi, ac volendi virtute pollere videmus. Quamquam negari non potest propter summam ejus cum corpore conjunctionem nonnunquam, ut in deliquiis, & apoplexia, animum ita sopiri, ut nec sui conscientiam, nec ullam profus cogitationem habeat. Ex his tamen obscuris phænomenis, quorum rationem reddere difficillimum est, argumentum trahi non potest contra ea, quæ perspicua, & certa omnino sunt.

LXXI. Porro hæc, & hujus generis alia argumenta ita gravia semper visa sunt, ut vel ipsi Gentiles de alterius vitæ perennitate plene convincerentur; præcipue cum Materialistæ nihil solidi habeant, quod illis opponant. Quodsi præterea divinæ revelationis lumen consulatur, adeo completam, & perfectam habebimus hujus veritatis demonstrationem, ut nullum amplius dubium superesse possit. Hinc etiam factum est, ut inter tam multa, &

*Argumenta
rationis di-
vina, reve-
lacio confir-
mat.*

varia hæreticorum genera nulli inventi sint, qui eam negare ausi fuerint, omnesque concordissime illam, ut articulum nostræ Religionis fundamentalem in symbolo confiteantur (q).

Hujus doctrinæ fructus.

LXXII. SCHOLION. Hujus dogmatis utilitas non est cum Ethnicis in eo repouenda, ut de animi nostri perennitate certi immortale apud posteros, vanæque gloriæ plenum nomen relinquere satagemus; sed ut vitam nostram ad Evangelii nor-

(q) Leo X. in synodo Lateranensi V. errorem quorundam Philosophorum, qui post Petr. Pomponatium docebant, animos hominum, si fidem spectemus, esse immortales, mortales autem, si solum rationis lumen consulamus, Sess. VIII. proscripsit, & simul hac invicta ratione refutavit: *cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus.* Multi etiam errarunt circa tempus, modum, ac durationem futuræ retributionis; sed de ipsa futuræ vitæ retributione post Sadducæos, qui teste Josepho Flavio Lib. XVIII. *Antiqu. judaic.* cap. I. animas cum corporibus interire opinabantur, nullam inter Judæos, aut Christianos controversiam motam esse reperio usque ad nostræ ætatis incredulos, qui veteres Epicureorum insanias ab orco revocarunt, contra quos præter auctores sæpius jam citatos, scilicet Valsecchium, Finetti, Monigliam, Huetium, Cerbonium &c. videri etiam potest P. Hubert Hayer in opere: *la spiritualité & l'immortalité de l'ame &c.*

normam instituentes, effrenatis cupiditatibus resistamus, a vitiis declinemus, sectemur virtutes, mala patienter toleremus, omnibus benefacere studeamus, ac summum Deum principium, & finem nostrum corde, & opere super omnia diligamus, ut ita felicitatis illius compotes simus, quam repromisit Deus diligentibus se. Interea autem nos monet Apostolus I. Corinth. VII. 29. & seq. *Tempus breve est: reliquum est, ut . . . qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi.*

C A P U T I V.

Ostenditur contra veteres, novosque Epicureos, aliquod esse natura sua bonum, & malum.

LXXIII. **N**on est nostri instituti eas quæstiones pertractare, quæ de juris naturæ origine, principiis, fundamento, ac fine non multis abhinc annis excitatæ fuere; sed duntaxat illorum errorem evertere, qui totum jus naturæ de medio tollentes nihil esse dicunt natura sua bonum, aut malum. Hic error antiquus est, sed a modernis nostris

Vetus Epicureorum error a recentioribus suscitatus.

in-

incredulis magno studio renovatus, utpote qui illorum principiis, & scopo maxime congruit. Si enim, ut illi falso ponunt, nulla est Deo humanarum rerum cura, & si nulla est animæ nostræ libertas, & immortalitas, sponte sua consequitur, nullam esse æternam, ac naturalem legem, qua bona discernantur a malis; sed justum, & injustum, honestum, aut inhonestum vana esse nomina; quo semel constituto & Religio tota, & simul cum Religione societas ipsa collaberetur, quod Libertinis nostri ævi in votis esse haud obscure videtur (r).

LXXIV.

-
- (r) Archelaus Milesius apud Jac. Bruckerum in *Hist. Crit. Philos.* Tom. I. jam annis ante Christum circiter 450 docuit, *justum, & turpe non natura, sed lege fieri.* Idem sensit Aristippus, teste Diogene Laertio: idem multi alii, ut Plato refert; ac præcipue Epicurei, ad quorum mentem canebat Horatius Lib. I. Sat. 3.

Utilitas justî prope mater, & æquî . . .

Nec natura potest justo secernere iniquum.

Eadem fuit quoque Academicorum sententia, quamvis nihil certi se habere profiterentur; quamobrem Carneades eorum sectator Romæ coram Galba, & Catone Censorio de justitia copiose, accurateque disseruit, sed postridie contraria oratione justitiam, quam ante laudaverat, prorsus sustulit, statuens, *jura sibi homines pro utilitate sanxisse . . . jus autem naturale esse nullum: omnes, & homines, & alias ani-*

LXXIV. Sed facile est demonstrare, Confutatur.
 non ex incerta, & varia hominum opinio-
 ne

*animantes ad utilitates suas natura ducente ferri; proinde aut nullam esse justitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam; quoniam sibi noceret alienis commodis serviens. Ita refert Lactantius Lib. V. Divin. instit. cap. 17. Taceo illos projectos adultores, quos una cum Euphemo apud Thucydidem Lib. VI. insinuare non pudet, Regi, aut Civitati imperium habenti nihil esse injustum, quod utile. Horum assentationem imitatus esse videtur Hobbesius in Lib. de Cive cap. 12. ita scribens: quod actio justa, vel injusta sit, a jure imperantis provenit: Reges legitimi, quæ imperant, justa faciunt imperando; quæ vetant, faciunt injusta. Nempe profanus hic, & impurus homo obsoletum illum errorem, nihil esse natura sua bonum, aut malum, ab orco revocavit; & naturalem hominis statum commentus est, in quo omnes bellarent contra omnes, & unicuique esset jus in omnia, ut vi, artibusque propriis proximum suum. palam, vel ex insidiis præoccupare possit. Porro fingere pergit, homines hujus infelicis status belli perturbatos inter se quædam pacta, & conventiones inivisse, atque ex his jura esse nata, omnemque boni, malique notionem pendere. Haud melioris notæ sunt, quæ de justo, & injusto ex suis principiis elicuit Ben. Spinoza (vid. supra Sect. I. §. 48); nam in Tract. Theol. polit. cap. 16. inter alia absurda hæc habet: Quidquid unusquisque sibi utile, vel ductu sanæ rationis, vel ex affectuum impetu judicat, id summo naturæ jure appetere, & quacunque ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocunque demum modo facilius poterit, ipsi capere liceat, & consequenter pro
 hñste*

ne, neque ex pactis, aut conventionibus, sed ex ipsa natura a Deo sapientissime ordinata quædam esse bona, & quædam mala. Si enim certum est; hominem fuisse a Deo conditum, dubitari etiam non potest, eundem fuisse ad certos fines ordinatum: bonum est ergo illi, si divinæ ordinationi obsequens ad finem sibi præstitutum propria libertate se dirigat; & malum si ab illo deflectat. Sic suprema ista ordinatione homo tendere debet in Deum, sicut in finem: quæ ergo illum inducunt in cognitionem, & amorem Dei, sunt naturaliter bona, & quæcunque illum a Deo abducunt, naturaliter mala. Pariter homo multa sibi ipsi debet, ut se conservet, suæque rationis ductum sequatur; quæ si faciat, sibi ipsi conscius est,

re-

hoste habere illum, qui impedire vult, quo minus animum expleat suum. Immo longius procedens, ita utilitate, & potentia jus naturæ determinari statuit, ut nec promissis, nec pactis standum esse velit, quotiescunque utilitas ea frangere suadeat, & impune frangendi potentia adsit. Hi tamen sunt lutulentissimi illi fontes, ex quibus increduli hortulos suos irrigare solent. Quorum communis plane vox est: nihil esse natura sua justum, aut injustum, bonum, aut malum.

recte se agere; & male, si prætermittat. Denique homo est in societate constitutus: bonum igitur est ei, si ea præstet officia, quæ societati debentur, & malum, si ea negligat.

LXXV. Immo si hominem in se ipso tantum consideremus, statim aliquis ordo naturalis apparet inter animam, & corpus, & inter rationem, ac inferiores appetitus: sic itaque ab homine procurari debet corpus, ut vires animæ non obtundantur, sed potius juventur; & sic indulgendum inferiori appetitui, ut actus rationis minime impediatur: si vero secus fiat, erit naturaliter malum: vinolentiæ igitur, & commestationes, & inordinatus venereorum usus, per quæ actus rationis impeditur: tum etiam passionibus subdi- quæ liberum rationis iudicium perturbent, sunt naturaliter mala. Sane quantum effrenes passiones naturali rationis ordini repugnent, vel ex ipsa externa corporis immutatione liquet. Sic hominis irati turbationem graphice pingit Seneca Lib. II. *de ira* cap. 35: *Tumescunt venæ, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendit: tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio.*

Prosecutio
confutatio-
nis.

160 *Aliquod natura bonum, & malum
tio. Qualem intus putas esse animum,
cujus extra imago tam fœda est?* (s).

Aliud argu-
mentum ex
S. Thoma.

LXXVI. Præterea quemadmodum quædam sunt notiones speculativæ, adeo evidenter veræ, ut eas nemo rationis compos negare possit; ex. gr. *totum esse majus sua parte*: ita etiam quædam sunt propositiones practicæ, de quibus homini prudenti nec minimum dubium suboriri potest; ex. gr. *Deum esse colendum, parentes honorandos, nemini irrogandam injuriam* &c. Sicut ergo illæ primæ ita natura sua veræ sunt, ut æternæ veritates vocari soleant; ita etiam aliæ. Qua in re uniuscujusque conscientia certus esse judex poterit; hæ quippe veritates ita lumine naturali notæ sunt, ut quilibet sine ulla instructione, sola magistra natura ignorare nequeat, quid sibi faciendum, aut non faciendum sit. Quamobrem pri-
ma

(s) Plura hac de re habet S. Thomas Lib. III. contra *Gentiles* cap. 122, & I. 2. Quæst. 71. art. 2, ubi inquit: *homo in specie constituitur per animam rationalem: & ideo, quod est contra ordinem rationis, proprie est contra naturam hominis, in quantum est homo; quod autem est secundum rationem, est secundum naturam hominis, in quantum est homo. Bonum autem hominis est secundum rationem esse, & malum hominis est, præter rationem esse, ut Dionysius dicit cap. 4. de divin. nomin.*

ma istius legis, quæ naturalis dicitur, principia etiam barbaris, & sylvestribus nationibus comperta esse videmus; apud quas & divinitatem coli ab itineratoribus accepimus, & iustitiam servari, & beneficentiam, & grati animi sensus, aliasque virtutes exerceri, quarum cognitio non aliunde, quam a natura insita esse potuit; contraria autem vitia omnibus execrationi esse. *Quæ enim natio, apposite inquiebat Tullius Lib. I. de Legibus, superbos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit?* (t).

LXXVII. Nihil autem magis a veritate alienum, quam hæc omnia bona, & mala ab hominum opinione, vel a pactis profecta esse. Imo enim, quomodo verifi-

Quod magis confirmatur.

(t) Multa præclare in hanc rem edisserit etiam Seneca Lib. IV. de beneficiis, ubi contra Epicureos gratiam esse referendam ostendit solius honestatis, non autem utilitatis titulo: cap. autem 17. observat, neminem adeo a naturali lege desciscere, & hominem exuere, ut animi causa malus sit. *Dic enim, inquit, cuilibet ex istis, qui raptò vivunt, an ad illa, quæ atrociniis, & furtis consequuntur, malint ratione bona pervenire? Optabit ille, cui grassari, & transeuntes percutere quæstus est, potius illa invenire, quam eripere. Neminem reperies, qui non nequitia præmiis sine nequitia frui malit &c.*

rifimile est, hominum opiniones sine ulla ratione, ac fortuito casu in his rebus ita concorditer omnes conspirasse? 2do si pactis, & conventionibus hæc introducta sunt, necessario supponi debet alia lex, quæ nos pacta, & conventiones religiose servare adstringat. Quod enim dicunt, utilitate ipsa homines ad id permoveri, evidenter apparet, id sæpius falsum esse, cum observatio legis plerumque cupiditatibus nostris, nostræque privatæ utilitati adversetur. Hinc scite notabat Cicero Lib. I. de *Legibus*: *si utilitate omnia metienda sunt, negliget leges, easque perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore.*

Præcludi-
tur Hobbesii
refugium.

LXXVIII. Sensit hanc difficultatem Hobbesius, eamque tollere se posse putavit in *Leviath.* cap. 14, & de *Cive* cap. 3, dicendo, eos, qui pacta violant, sibi ipsis contradicere, & *absurdos* esse, non minus ac absurdi sunt, qui in disputando ea negant, quæ antea concesserant. At vero putabimusne, homines hanc absurditatem magni facturos? & Magistratum auctoritatem, aut Regum solia satis firmo suffulta esse præsidio, si homines ab iis evertendis nullo alio coercentur motivo, quam ne absurdi, vel
in-

inepti habeantur instar disputatoris, qui ea revocet, quæ prius concesserat?

LXXIX. Restat ergo, ut dicamus, hæc ab ipsa natura firmata esse: unde iterum præclare agebat Cicero Lib. I. de *Legibus*: *lex est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria.* Quam doctrinam multo clarius, & solidius explicat S. Thomas 1. 2. Quæst. 91. art. 2, observans Imo, omnia, quæ divinæ providentiæ subduntur, aliquo modo legem æternam participare, in quantum ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus, & fines. 2do rationalem creaturam excellentiori quodam modo divinæ providentiæ subjacere, in quantum & ipsa fit providentiæ particeps, sibi ipsi, & aliis providens: unde & in ipsa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem. Et talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur.

Conclusio
hujus ratio-
nis.

LXXX. Neque illud prætereundum est, quod post Angelicum Doctorem communiter docent Theologi, paucis contradicentibus, legem hanc naturalem æternam esse, atque immutabilem; ita quidem, ut in libera Dei potestate esset, ho-

Lex natura-
lis est æter-
na, & in-
variabilis.

minem condere, vel non condere, cum autem eum condere voluerit, non potuisse illi aliam legem imponere, quam reipsa imposuerit. Etenim ne fingendo quidem intelligere valemus, Deum sapientissimum Legislatorem potuisse hominibus præcipere ex. gr. ut beneficiis ingrati essent, parentes contumeliis afficerent, indomitis passionibus irrefrenate indulgerent, ac demum (quod dictu horrendum est) ipsum Deum odio haberent, & blasphemii incesserent; quæ omnia natura sua recto, ac sapienti ordini repugnare cæcus est, qui non videat.

Potest tamen ejus materia variari.

LXXXI. Fieri tamen aliquando potest, ut primis juris naturalis principiis fixis, immotisque permanentibus, eorum, quæ secundaria dicuntur, materia in quibusdam circumstantiis immutetur. Sic rata manente depositi reddendi lege concludi debet, ex sanæ rationis principiis, arma non esse ei restituenda, quem in sui, vel aliorum, imprimis autem Patriæ, vel Regis perniciem iis abusurum novimus. Atque ita nonnulla exempla explicantur præcepti impositi a Deo filiis Israel, ut spolia Ægyptiorum auferrent, aut Abrahamo, ut filium suum immolaret, aut Oseæ, ut ad mulierem fornicariam accede-

deret; de quibus agit S. Thomas I. 2. Quæst. 100. art. 8. ad 3.

LXXXII. COROLL. I. Ex his apparet, quam falsum, & absurdum sit Epicureorum systema, qui justî, & injusti notionem ab utilitate repetebant; certum est enim, utile a justo, & honesto sæpe distingui, immo & sæpe eidem opponi: tum etiam utilitatem pro varietate hominum variare; unde fieret, tot pene esse justî, injustique notiones, quot sunt hominum genera. Si quis autem utilitatem illam veram intelligeret, quæ in sectanda virtute, vitiisque fugiendis consistit, is verbis potius, quam reipsa a nobis dissentiret, qui naturales æternasque boni, ac mali notiones esse statuimus; nulli enim dubium esse potest, veram hominis utilitatem, immo & felicitatem ab hujusmodi notionibus pendere.

Boni, & mali notio non pendet ab utilitate.

LXXXIII. COROLL. II. Multo absurdius errant Helvetius, Auctor *System. nature*, aliique hujus furfuris Pseudo-philosophi, qui morum scientiam in physica sensibilitate, in sui ipsius amore, atque in voluptate fundari comminiscuntur (u).

Multo minus a physica sensibilitate.

L 3

Nam

(u) Impurus ille Helvetii liber de *l'esprit* integer exscribendus esset, si omnia, quæ huc spectant,

Nam præterquam quod hæc nonnisi iis
arridere possunt, qui de Epicureorum gre-
ge

afferre vellemus. In 3tio sermone cap. 4. *phy-
sica sensibilitas*, inquit, & *propria utilitas aucto-
res fuerunt omnis justitiæ*; & iterum: *hæc voca-
bula boni, & mali creata fuerunt ad exprimen-
das sensationes voluptatis, aut doloris physici,*
quas nos ab objectis externis recipimus; atque
ex hoc fundamento virtutum omnium originem
derivare conatur. Helvetium pene exscripsit
Auctor *system. naturæ*, modo propriam utilitatem,
modo voluptatem ut punctum centrale statuens,
ad quod omnes nostræ cogitationes, desideria,
passiones, actiones, & facultates indefinenter
tendunt. Quamquam vero, ut perpetua est
ejusmodi scriptorum inconstantia, non raro
de virtutibus, ac vitis sane, & orthodoxe
præcipere videntur, fidendum tamen illis non
est; nam *latet anguis in herba*, & sub speculo
verborum cortice nihil aliud tandem virtu-
tis nomine intelligunt, quam quod corruptæ
naturæ blanditur, nec vitium ipsis aliud est,
quam quod eidem displicet: quæ omnia facile
observari poterunt, si quæ in male confarci-
natis istorum systematibus hinc inde dispersa
sunt, simul conferantur. Sed illud magis fe-
stivum, & lepidum in istis novis legislatoribus
est, quod nunquam contra sanioris Ethicæ do-
ctores clamare cessant, quasi hætenus vera
hujus scientiæ principia cymmeriis tenebris in-
volverint, ipsisque solis cœlitus datum, ut ea pro
summo humani generis bono explicarent. Le-
gi sine stomacho non possunt; quæ Auctor
system. nat. in Introduct. habet. Neque ab his
dissentit impium illud opus, cui titulus *systeme
sociale, ou principes naturelles de la morale, &
de la politique.*

ge sunt, satis est, corruptionem nostræ naturæ vel leviter considerare, ut statim in oculos incurrant horridæ illæ abyssi, in quas cæcus nostri ipsius amor, & immoderata voluptatis desideria homines incautos præcipitare solent. Nisi itaque naturales virtutis, ac vitii notiones nostris passionibus limites figant, certasque mensuras, ac regulas constituent, ultra quas proprius amor, nostræ conservacionis desiderium, ac voluptatum consecratio extendi non possint, jam totus erit rerum ordo turbatus; nec Deum amplius ut supremum Dominum verebimur, ubi illius mandata gravia videantur; nec ratio inferiori, ac sensibili hominis parti dominabitur; nec denique ulla nobis erit societatis cura, ubi pro amicis, pro parentibus, pro patria, pro Rege incommoda perferenda sint, aut vita ipsa cum sanguine profundenda. Quæ omnia adeo ex se patent, ut longam non postulent orationem.

LXXXIV. COROLL. III. Quamquam systema Hobbesianum satis confutatum ex eo sit, quod, uti ostendimus (§. LXXVII.), nulla esset obligatio pacta servandi, aut legibus obediendi sublata æterna lege naturæ, facile tamen est, nonnullas ejus

Hobbesiani
systematis
repugnan-
tia.

168 *Aliquod natura bonum, & malum*
repugnantias, & contradictiones advertere. Vult enim, ante leges Magistratum omnia esse indifferentia, nec nisi per leges bona fieri, aut mala; jam vero si hoc est, quænam ratio fuit, ut legibus furtum, & homicidium prohiberentur potius, quam præciperentur? Si nulla, ergo potuissent hæc quoque legibus præcipi, quod absurdum esse nemo negaverit: si autem aliqua, ergo non erant omnia ante leges indifferentia. Præterea illud quoque contradictorium videtur, quod primævum hominum statum, quem *naturalem* ipse vocat, in mutuo omnium contra omnes bello constituat, in quo quilibet juris sui persequendi gratia vi, & dolo contra quoslibet utatur; post autem & pacem quærendam esse docet, & pactis standum, sive conventionum fidem servandam, tanquàm conciliandæ paci necessariam. At enim ex hoc sequitur, homines a natura & ad bellum, & ad pacem inclinari. Quanto melius agnovisset cum Cicerone Lib. I. de *Officiis*, *homines hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent? In hoc naturam debemus sequi ducem, communes utilitates in medium asferre, mutatione officiorum dando, accipiendo,*
tum

tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter se societatem.

LXXXV. COROLL. IV. Convulso systemate Hobbesii, ruit etiam Spinozæ systema, qui eum *κατὰ πόδας* secutus est; præcipue in errore capitali, scilicet totum jus in potentia, & cupiditate situm esse; unde sequitur, eum majori jure polleere, qui majoribus pollet viribus; quod si bene consideretur, idem est, ac omne jus evertere, vel non aliud jus inter homines statuere, quam quod obtinet apud belluas, quarum quæ ferociores, & potentiores sunt, alias impune devorant. Videtur quidem Spinoza una cum Hobbesio jura pactorum, ac conventionum alicubi statuere; sed postea consequenter suo systemati in *Tract. Theol. polit. cap. 2. §. 8*, qui, inquit, *quidpiam alicui promittit, is naturali sua agendi potentia, ac propterea jure minime se spoliat . . . adeoque si possit promissis resistere, jure suo resistit; nec est quod de rupta fide, qui minus potest, queratur; cum queri non possimus, jure naturæ alios agere.* Ex qua impia doctrina imo totum humanæ societatis vinculum disrumpi, apertissimum est: 2do Principes, qui ceteris

Abfurditates systematis Spinozæ.

170 *Aliquod natura bonum, & malum*

potentiores sunt, nulla erga sibi inferiores lege teneri; quod Spinoza non negat, & ab Hobbesio didicerat, qui in Lib. de cive. cap. 4. §. 12, & 14. docuerat, *quidquid fecerit Princeps, impune esse, & eundem legibus civitatis non teneri.* Hæc breviter indicare volumus, ut quorsum tendat perniciosa illa doctrina nostrorum Pseudo-philosophorum, scilicet nihil esse natura sua bonum, vel malum, omnes videant (x); ut tamen id majori etiam in luce ponatur, potiora ipsorum argumenta solvenda sunt.

Primum
adversario-
rum argu-
mentum.

LXXXVI. Primum autem ex eo repetitur, quod notiones boni, & mali non eadem sint apud omnes populos; quorum aliqui parentes ipsos senectute jam

CON-

(x) Ceterum multi sunt, qui Hobbesii, & Spinozæ systemata & latius exposuerunt, & solidius refutarunt. Quantum ad expositionem utriusque systematis, nemo accuratius id præstitisse videtur, quam Jac. Bruckerus in *Hist. crit. Philos.* Tom. IV. P. altera. Hobbesius plures habuit in ipsa Anglia hostes, præcipue autem Rich. Cumberlandium, & Radulphum Cudworthum, tum in *system. intellect. hujus universi, tum de æterna, & immutabili rei moralis natura.* Sed contra ipsius, ac Spinozæ paradoxa bene multi ex Catholicis præsto erunt, ut Hooekius, Finetti, Carboni, Richard, Valfecchi, & Cl. P. Bertieri Lib. I, de *Legibus.*

confectos morte afficere, pium esse judicant; alii non solum hostium, sed eorum etiam, quos maxime caros habent, carnes comedunt; alii furta, adulteria, homicidia impune perpetrant. Immo, quod magis mirandum, apud cultiores ipsas nationes quædam obtinuisse scimus, quæ nobis horrenda, & naturæ maxime repugnantia videntur; cujusmodi erant sacrificia humana, crudelis liberorum expositio, suicidium &c. Ac denique, quod adhuc magis mirandum est, Philosophi acutissimi, & in naturæ indagatione maxime versati plura tradiderunt, quæ alii Philosophi, potissimum vero christiani superna Evangelij luce illustrati, ut naturæ dictamini e diametro opposita exploferunt. Hinc concludunt adversarii, nullas esse boni, malique naturales notiones; nam si essent, omnibus sine discrimine communes, & æquales forent, quemadmodum communes, & æquales sunt voluptatis, aut doloris sensationes.

LXXXVII. Ad hujusmodi argumenti, Solvitur. aliarumque similium difficultatum solutionem illud est animadvertendum, non ita dici notiones boni, & mali esse *naturales*, quomodo naturalis est doloris, aut voluptatis sensus, quem sine ullo rationis con-

consilio necessario percipimus; sed ita dicuntur *naturales*, ut recta ratio, cupiditatibus minime obnubilata, aut pravis consuetudinibus non totaliter efferata, illas statim cognoscat. Nam apud eos etiam, qui rectis boni, & mali notionibus imbuti sunt, nonnumquam fit, ut tumultuantium passionum æstu ratio in transversum acta iudicio pratico mala vel turpissima, ac perniciosissima eligat. Simili itaque modo contingere potuit, ut incultæ quædam nationes, quæ ferino potius, quam humano modo vivunt, rectas boni, malique notiones non quidem omnino, sed magna ex parte amiserint; nam & ipse Cicero observabat Lib. I. de *Legibus*, *tantam esse corruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur a natura dati, exorianturque, ac confirmantur vitia contraria.* Dixi non omnino; semper enim aliqua apud ipsas viguerunt juris naturalis universaliora principia; quamvis defectu sanæ rationis iis male usi fuerint. Sic aliqui ex pietate parentes occidendos putabant, ut eos a senectutis incommodis liberarent; & alii victimas humanas Diis immolabant, ut majorem erga eos venerationem ostenderent. Ceterum apud cul-

tas

tas nationes, & apud illustriores Philosophos multa, & potiora juris naturalis præcepta viguisse compertum est; quamvis luminis supernaturalis defectu nec omnia viderint, & in multos, magnosque errores lapsi fuerint. Hæc autem illorum ignorantia ostendit quidem naturæ nostræ corruptionem, & aliquam supernæ revelationis necessitatem, de qua in sect. seq. sermo erit, non autem notiones boni, & mali naturales, & communes non esse.

LXXXVIII. Ex quo autem barbari quidam populi rationis vocem non audientes, aut non attendentes principia juris naturæ vel ignoraverint, vel iis male usi fuerint, non est cum Hobbesio concludendum, recti honestique notiones ab educatione tantummodo pendere. Non inquam; etsi enim educatio plurimum valeat ad notiones justæ, & injustæ excolendas, tum etiam ad virtutum habitus in nobis efformandos, ut facilius, & promptius bonum sectemur, malumque declinemus; contendimus tamen, in natura ipsa esse has practicas veritates, quæ postea recta institutione magis explicantur. *Communis intelligentia*, inquiebat Cicero Lib. I. de *Legibus*, *nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut*
ho-

Boni, mali-
que notio-
nes non
proveniunt
ab educa-
tione.

174 *Aliquod natura bonum, & malum*

honestā in virtute ponantur, in vitiis turpia: hæc autem in opinionem existimare dementis est.

An sint innatæ?

LXXXIX. Quæri etiam a nobis solet, an ideæ istæ boni, & mali innatæ sint, an vero acquisitæ? R. autem, non paucos fuisse Philosophos, ac Theologos, qui hujusmodi ideas nobis innatas esse docerent. Sed in tanti momenti controversia nolumus ad privatas scholarum opiniones confugere; satis sit cum Angelico I. 2. Quæst. 9. art. 2. notare, legem naturalem, ex qua notiones justæ, & injustæ dependent, impressionem esse divini luminis in nobis, seu participationem legis æternæ in rationali creatura. Cum itaque bonum, & malum natura sua differant, homo divini hujus luminis participans hoc naturale discrimen percipit; quomodocunque tandem perceptio ista in nobis fiat; qua de re modo solliciti non sumus.

Aliæ objectiones Hobbesii.

XC. Qui cum Hobbesio boni, malique distinctionem ex pactis, & conventionibus repetendam esse contendunt, his potissimum innituntur momentis; Imo quia ante pacta omnia erant communia, & bonorum divisio mutuis debetur conventionibus: adeo quia nullus erat superior,

rior, cui obedire homines tenerentur, antequam illi sua se libertate exspoliantes eam alicui conferrent: 3tio quia si unus tantum in mundo esset homo, vel solitarie in aliqua insula viveret, ut de Robinsone confictum fuit, iste nec potestati ulli subjectus esset, nec aliquid alteri deberet, atque adeo nihil esset ipsi vetitum, nihilque malum, sed omnia bona.

XCI. Verumtamen nihil magis sine fundamento confictum esse reor, quam status ille Hobbesianus, in quo homines more brutorum exleges viverent; cum potius hominis statum naturalem ad societatem institutum esse luculenter appareat; societati autem natura ipsa suas præstituit leges, illamque primariam: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Sed fingamus etiam, homines in eo sylvestri statu a Deo fuisse creatos, quem Hobbesius vult, quomodo inde sequetur, cuilibet fuisse jus in omnia? Annon potius rationi consonum esset, ut quilibet in ea tantum jus haberet, quæ sibi ad vivendum necessaria sunt? Immo involvit contradictionem, ut quilibet in omnia jus habeat; ut manifeste repugnat, eandem rem ad aliquem pertinere, & non pertinere. In eo itaque commentitio statu essent adhuc

Solvuntur.

ali-

aliquæ naturales leges, ut unusquisque ita necessariis contentus esset, ut aliis non noceret: & si de necessariis quis sibi providere non posset, quin hæc aliis surriperet, ut saltem cum minimo ipsorum detrimento id fieret.

Prosecutio
ejusdem
materiæ.

XCII. In hypothese etiam æqualitatis omnium hominum, omni excluso superiore, cujus mandatis obsequendum sit, adhuc superest suprema illa naturæ lex, qua jubemur ea sectari, quæ rectæ rationi conveniunt, eaque vitare, quæ illi repugnant. Ac tandem si vel unicus esset homo in mundo, vel aliquis procul ab aliorum consortio solitariam vitam degeret, adhuc officia haberet Deo creatori, conservatori, principio, & fini suo reddenda: officia item erga seipsum, ut corpus animæ, & pars inferior superiori obtemperaret (Vid. supra §. LXXIV. & seq.).

Rousseavii
paradoxa.

XCV. Ex hæctenus dictis contra Hobbesium facile exploditur, immo explosum jam est paradoxum illud Rousseavii, qui statum hominis extra omnem societatem non solum naturalem, sed etiam felicissimum putat, maleque de humano genere promeritos fuisse, qui societates instituerunt. Operæ pretium non est, in his, aliisque hujus hominis insaniis refellendis
tem-

tempus, ac diligentiam impendere, qui *μωδωθεωπος* appellari potest, non minus, ac Timon ille Atheniensis, de cujus odio, quo totum genus humanum prosequeretur, plura habet Plutarchus in Antonio (y).

XCIV.

(y) Illud solum obiter notabimus, neque Hobbesio, neque Spinozæ, neque Rousseavio, nec ulli alii ex modernis Pseudo-philosophia gloriam (si tamen ulla est) inventionis hujus systematis anti-socialis relictam esse. Illud enim ita eleganter suo modo describit Horatius Lib. I. Satyr. 3.

*Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum, & turpe pecus, glandem, atque
cubilia propter,
Unguibus, & pugnīs, dein fustibus, atque
ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat
usus;
Donec verba, quibus voces, sensusque no-
tarent,
Nominaque invenere: dehinc abfistere bello,
Oppida cæperunt munire, & ponere leges &c.*

Lucretius fere eadem habet Lib. I. Multa quidem isti auctores afferunt, atrisque coloribus pingunt societatis vitia; sed dissimulant multo plura ejusdem societatis commoda. Et certe homo natura sua inermis, alienæ opis indigus, sibi minime sufficiens, vel ferarum pabulum esset, vel infirmitatibus succumberet, vel denique sine solatio infelicem, & non diuturnam vitam agerēt.

Pufendor-
fi opinio
obiter re-
fellitur.

XCIV. SCHOLIUM. Non est hujus loci, Sam. Pufendorfium, Sam. Coccejum, aliosque paucos refellere, qui omnem actionum turpitudinem, aut honestatem non a natura, sed a libera supremi Legislatoris voluntate pendere existimant; hoc unum tamen breviter animadvertimus, hac posita sententia illud consequens esse, potuisse Deum probare, aut etiam jubere adulteria, rapinas, homicidia, immo & blasphemias, & odium ipsius Dei; quod vel cogitare horrendum est. Melius itaque cum aliis Theologis, jurisque tractatoribus concluditur, legem naturalem necessariam omnino esse, nec a libertate, & omnipotentia Dei pendere, qui cum sapientissimus, ac justissimus sit, non potuit ea velle, aut præcipere, quæ ejus justitiæ, ac sapientiæ repugnant (vid. supra §. LXXX.). Sed eruditus constat, Pufendorfium ex rationibus politicis fuisse in Hobbesium propensum (z).

Con-

-
- (z) Leibnitiuss in *Otio Hannoverano* hæc posterorum memoriæ reliquit: *Relatum mihi est, cum primum ederet Pufendorfius elementa sua Jurisprudentiæ Hagæ Comitum an. 1660. hoc ipso captasse sibi favorem Electoris Palatini Caroli Ludovici, quod Hobbesium in præjat. commendaverit, ex eoque assumenda quædam putaverit sibi, cum*

ni-

Conclusio hujus sectionis.

Post stultam Atheorum dementiam nulla est major Religioni, Imperio, ac toti hominum societati pestis, quam impia veterum, novorumque Epicureorum audacia, qui communes, & ipsa vetustate sua roboratas omnium gentium opiniones convellere incredibili conatu nituntur. Si illos audiamus, inepte Majores nostri cœlum, terramque divina omnipotentia ex nihilo extracta fuisse, eademque divina omnipotentia regi sibi persuaserunt: modo sapere incipiamus, & casum, ac fortunam, vel inevitabile fatum, & omnium rerum causam fuisse, & rebus omnibus dominari pro certo habeamus. Tempus est in hac seculi nostri luce, ut intimæ conscientiæ, communique sensui, tanquam errorum omnium fonti nuncium remittamus; nec amplius arbitremur, nos anima incorporea, libera, atque immortalis pollere: nihil aliud nos a brutis di-

M 2 fin-

nimum constaret ipsi, summum Hobbesii admiratorem esse Electorem, cui & opus isthoc dedicavit, hacque ratione meruisse, ut Professio Heidelbergensis ipsi demandaretur. Contra Pufendorfium, Coccejum, aliosque eorum asseclas consuli potest doctissimus noster Car. Ant. de Martini Exercitat. III, de Lege nat., §. 128.

stinguit, nisi quod manus, ac digitos habentes multis operibus perficiendis aptiores sumus, quam illa, quibus ungulas, & cornua digitorum loco natura tribuit. Docendi erunt in posterum populi, nihil esse mali in mundo, nisi quod nostris cupiditatibus adversatur; eaque omnia esse bona, quæ voluptatibus nostris inserviunt: non igitur vanis, ac chymæricis virtutis, aut vitii, gloriæ, aut ignominia, præmii, aut pœnæ titulis sibi illudi patiantur; sed hujus vitæ commodis, quam diutissime possunt, frui satagant, mala autem, quæ vitari nequeunt, aut patienter toleranda, aut simul cum vita finienda; omnibus enim præsto esse laqueos, gladios, præcipitia, aquarum gurgites, & mille alios mortis sibi consciscendæ modos. Sed hoc satis fit; horret enim animus, funesta hæc Epicuræ doctrinæ capita vel leviter considerando. Faxit Deus, ut horreant ii ipsi, qui infaustis suis libris hæc pestifera venena sub mellito verborum cortice incautis propinare student; vel saltem, ut alii oculatiores fiant ad ea evitanda.



S E C T I O III.

De Naturalismo.

I. *Naturalista proprie* dicuntur, qui rejecta quacun- que supernaturali revelatione, in Religionis negotio humanam tantummodo rationem audiendam esse volunt. Distinguuntur autem ab incredulis, quos hactenus Sect. I. & II. confutavimus, imo in eo, quod Dei existentiam fatentur, immo ejusdem Dei essentiam, atque infinita attributa, quantum humanæ rationi licet, perscrutari conantur. 2do mundum a Deo creatum esse, & ab ipso conservari, atque administrari dicunt; unde etiam inferunt, creaturas omnes, suo quaslibet modo, a Deo dependere. 3tio aliqui eorum animam nostram incorpoream, liberam, & immortalem admittere non recusant. 4to homines meriti, ac demeriti, & proinde præmii ac pœnæ capaces esse volunt, neque in hac solum, sed etiam in vita futura. 5to omnes homines teneri ad Deum saltem interno cultu honorandum. 6to nec desunt, qui etiam externum cultum adhibendum esse dicant, sed non alium, nisi quem ratio naturalis præscribit.

Quisnam sint Naturalistæ, & quænam eorum doctrina?

terum divinam revelationem, nedum ut supervacaneam, & falsam, sed etiam ut noxiam, utpote quæ entusiasmo, aut callidis hominum imposturis viam aperit, explodendam esse contendunt. Totam igitur Religionem in sola legis naturalis observantia constituunt, nec ullam putant in ea contineri *fidem* proprie dictam. Hinc apparet, Naturalismum non solum Christianæ Religioni opponi, sed etiam cuicumque alteri sectæ, Judaicæ, Ethnicæ, Mahumetanæ &c.; omnes enim istæ superstitiosæ Religiones alicui supernæ revelationi, licet falsæ, superstructæ sunt (a).

II.

-
- (a) Solent aliqui post Adamum Tribbechovium in *Hist. Naturalismi* multos alios Naturalistas accensere, quamquam minus proprie, præcipue autem Socinianos, propterea quod omnia mysteria a Religione excludunt. Sed cum Sociniani, & ceteri omnes, qui Christiano nomine censentur, SS. Scripturas ut a Deo revelatas admittant, non video, quo jure possint etiam minus proprie in Naturalistis numerari. Quanto autem magis absurda est, & plane intolerabilis illorum calumnia, qui Ecclesiam Romanam *Naturalismi* postulare non verentur? Id non ita pridem ausus est Jo. Ernestus Schubertus Lutheranus in Programm. de *Naturalismo Romanæ Ecclesiæ* an. 1750, & in alio Programm. de *Fide Ecclesiæ Romanæ* 1754. A catholicorum omnium fidem imploramus, an in tan-

II. Hoc perniciosum systema, quod late admodum nostris temporibus pervagatur, ut funditus convellamus, primo nobis necessitas divinæ revelationis demonstranda erit etiam in iis veritatibus, quæ rationis nostræ captum, natura sua non superant: 2do insufficientia Religionis illius, quam *naturalem* vocant: 3tio existentia veræ, divinæque revelationis; & quomodo hæc a fanatico quorundam enthusiasmo, & a fraudulentis impostorum dolis, ac fallaciis secerni queat. Non pauca quidem hac de re tradita sunt

Et quomodo confundenda?

M 4

in

tanta seculi nostri luce liceat odium theologicum eo usque provehere, atque imperitis tam impudenter fucum facere? Otio abuteretur, & litteris, qui hæc resellenda putaret. Naturalistarum nostri ævi princeps haberi potest Eduardus Baro Herbertus de Cherbury Anglus, qui in *Lib. de Relig. Gentilium*, & in alio *de veritate, prout distinguitur a revelatione* &c. ad salutem sufficere docuit, ea tantum credere, & observare, quæ ratio humana de Deo, ejusque cultu nobis proponit. Qua in re ille ab aliis distinguitur, qui Gentiles, aut Mahumetanos, Religionem, quam falso revelatam credunt, sectantes salutem consequi posse opinantur; multoque magis ab impio Franc. Puccio apostata relapso, qui in Inficeto suo opere *de Christi servat. efficacitate in omnibus, & singulis hominibus* &c. tantam fuisse sanguinis Christi virtutem commentus est, ut falsarum etiam sectarum homines salvos faceret.

in P. I. *Isagogica Theol. dogm.* cap. III. & seq.; quia tamen in materia versamur maximi momenti, & cum Naturalistis alii etiam increduli communem causam facere videntur, non inutile erit, iis, quæ dogmatice exposita fuerunt, alia addere, quæ ad Polemicam proprie pertinent. Qua quidem in re nobis aliquanto prolixioribus esse licebit, cum nihil sit, quod accuratius, aut copiosius tractari mereatur. Sit itaque

C A P U T I.

Ostenditur, sine superna Dei revelatione omnia ea officia perfectè, & sine errore cognosci non posse, quæ Deo, nobis, atque aliis ex lege naturali debemus (b).

Probatio
prima ex
rationis
imbecillitate.

III. **U**t res ista majori in luce ponatur, fingamus si ita placet, om-

(b) Hæc propositio est contra eos, qui una cum Tindalio in Lib. *Christianismus ita antiquus, ut mundus*, contendunt, legem, vel Religionem naturalem, non solum ea omnia continere, quæ ad salutem scitu necessaria sunt (quem errorem infra consutabimus) sed etiam ita perspicue esse in cordibus nostris a natura impressam,

omnes homines esse maximo ingenii acumine præditos, sufficienti otio frui, ut in Religionis indagazione omnem operam, diligentiamque impendant, nihilque illis deesse eorum, quæ ad veritatum hujusmodi inquisitionem necessaria sunt, aut utilia (quod adversarii ipsi, si bona fide agere velint, rarissime contingere fatebuntur): si tamen consideremus rationis nostræ imbecillitatem, tenebras item, quas illi passiones offundunt, opinionum varietatem, ac difficultates non leves, quæ a Philosophis diversarum scholarum excitatæ sunt, nemo prudens diffitebitur, in multis rebus aut verum inveniri nullatenus posse, aut saltem non posse eam certitudinem, & evidentiam haberi, quæ in materia tanti momenti desideratur; agitur enim de officiis, quæ proximis

M 5 no-

sam, ut nemo decipi possit. Immo laud. Auctor longius procedens, hominibus etiam *ἀναπιστάτοις*, qui nec legere norunt, notitiam Religionis omnino perspicuam natura inditam esse, nobis persuadere vult. Quod si foret, nedum revelatione, sed nec instructione homines indigerent. A Tindallo non procul recedit J. J. Rousseavius in suo *Emile*, licet revelationem nonnumquam admittere homo sibi parum constans videatur, & Evangelium omnibus Philosopherum libris longe præferat.

nostris, nobismetipsis, potissimum autem Deo Creatori, & universorum Domino debemus; & in quibus error potest esse perniciosissimus.

Quam experientia confirmat.

IV. Id etiam luculentius experientia demonstratur; cum videamus, summos, qui omni ætate floruerunt, Philosophos, solius rationis ductum sequentes, & a se invicem maximopere dissensisse, & in multos, magnosque errores fuisse prolapsos, de quibus nimis longum esset dicere (c). Funestum hoc aliorum naufragium

(c) Præclarè Lactantius Lib. III. *Divin. Instit.* cap. 13. & seq. Ciceronem inconstantiz arguit, quod prius dixisset, Philosophiam esse vitæ ducem, virtutis indagatricem, expultricem vitiorum, inventricem legum, ac magistram morum; post autem in *Fragm. Academ. Quæst.* ita ingenuè falsus esset: *mihi autem non modo ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes, & obtusi*; item de *Consolat.* *sed nescio, quis nos teneat error, aut miserabilis ignoratio veri.* Deinde ita contra omnes Philosophos Lactantius concludit: *cum (Philosophia) sit in plures sectas, disciplinasque diffusa, nihilque habeat certi, nihil denique, de quo universi una mente, ac voce consentiant, quid potest esse tam falsum, quam regulam vitæ Philosophiam nominari, in qua diversitas Præceptorum rectum iter impediat, & turbet? aut legem bene vivendi, cujus capita longe dissonant? aut scientiam vitæ agendæ, in qua nihil aliud efficitur, contraria sæpe dicendo, quam ut nemo quidquam sciat?*

gium hominem prudentem absterre-
bet, ne suæ rationi nimium fidat, sed
alium ducem errori minime obnoxium
quærat, cujusmodi est divina revelatio.

V. His accedit, longo, & pertinaci
labore ad id opus esse, ut humanæ vitæ
officia solius inquisitionis ope inveniamus;
ita ut, eodem Lactantio observante, *ipsi
Doctores ante fuerint senectute, ac morte
confecti, quam constituerint, quomodo
vivi deceat.* Contra autem revelatio
nobis viam inveniendæ veritatis ostendit,
nedum tutam, sed facilem etiam, & ex-
peditissimam; & ita quidem, ut nostri
adolescentes in revelata Religione, qua
par est, diligentia instructi multo plus de
vitæ humanæ officiis sciant, quam scive-
rint veteres illi, & consummati Philoso-
phi. Accedit etiam, quod nobis de ha-
rum rerum veritate prudenter dubitare
non liceat, utpote qui a Deo falli, &
fallere nescio edocti sumus: ii autem,
qui fallaci rationi humanæ innituntur,
hanc certitudinem consequi nullatenus
possunt. Quod adeo verum est, ut ipsi
fa-

Probatio
altera ex
difficultate
verum in-
veniendi.

*sciat? --- Nulla itaque ratio, vel scientia, vel lex
bene vivendi, nisi in hac unica, & vera, & cœlesti
sapientia constituta est, quæ Philosophis fuerat
ignota.*

sapientiores inter ethnicos Legislatores non aliter suis legibus auctoritatem conciliare posse putaverint, quam Deorum revelationibus confectis, quibus suas leges probatas fuisse mentiebantur. Ita egerunt Minos legislator Cretenfium, Lycurgus Lacedæmonum, Zaleucus Locrenfium, Numa Romanorum, Zoroaster Persarum, & Pythagoras Samiorum.

Maxime
propter ra-
tionis lu-
men a pas-
sionibus
obscura-
tum.

VI. Verum quidem est, quod adversarii post Tindalium sæpius oggerere solent, legem naturalem esse a Deo omnium cordibus insculptam. Sed non confident, nostram rationem esse obnubilatam, & passionum vehementia ita in transversum actam, ut sæpe sæpius divinum illud lumen nobis impressum quasi extinguatur. Porro hanc rationis nostræ obscurationem, atque deordinationem a peccato originali ortam esse, fides docet; sed si etiam fidem tantisper seponere velimus, eandem luculenter ostendunt tot errorum monstra, in quæ Philosophi etiam acutissimi solius rationis ductu infeliciter lapsi sunt, a quibus commemorandis brevitatis amore supersedemus (d). Porro si nemo

unus

(d) Aliquos tamen obiter saltem indicare opportunum ducimus. Stoici, quibus adhæsit Cicero Lib.

unus inventus est, qui folius rationis lumine non cæspitaverit, immo in absurdifimos errores prolapsus non fuerit, quis erit tam imprudens, ut abjecta revelatione eidem errandi periculo se committere velit?

VII.

Lib. I. *Tuscul. Quæst.*, ἀνδροειδῶν commendabant, tanquam viri fortis esset, in summis malis ex mundo, quasi ex theatro exire. Cato cum multis aliis fornicationem veluti remedium ad vitanda adulteria permitti voluit. Plato in Lib. VI. de *Legibus* ebrietatem in bacchanalibus probavit; & in Lib. V. de *Republ.* scæminarum communitatem, crudelemque liberorum expositionem: immo immanissimam hanc consuetudinem fuisse pluribus nationibus communem ostendit Gerardus Noodt in opere *Julius Paulus, sive de partus expositione, & necesse apud veteres.* Cicero mendacium, & perjurium aliquando excusandum putavit Lib. III. de *Officiis*, illud scite dictum ab Euripide censens: *juravi lingua, mentem injuratam gero;* quam sententiam pluribus aliis Philosophis arripisse ostendit Card. Ursius *dell' uso materiale delle parole* cap. I. & seq. Vindictam fere omnes ut maxime honorificam prædicabant, quo nihil esse potest reipublicæ perniciosius. Et ut multa alia omittamus, concludere possumus cum Cicerone Lib. II. de *divinatione, nihil tam absurde dici posse, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum.* Ceterum si quis plura in hac re desiderat, adire poterit inter veteres Lactantium in Lib. III. *Divin. Institut.*, Eusebium Lib. XV. *Præparat. Evangel.*, & S. Augustinum in aureis libris de *Civit. Dei*; inter recentiores autem Leland in *nova demonstratione Evangelica* Tom. III, præter innumeros alios.

Inde tamen non fit, posse legem naturæ inculcate ignorari.

VII. Verum est etiam, quod Theologi docent, legis naturalis præcepta a nemine inculcate ignorari posse, lex enim naturæ vocatur a S. Thoma I. 2. Quæst. 91. art. 2. *impressio divini luminis*, quo discernimus, quid sit bonum, & quid malum. Sed attendenda est alia ejusdem Angelici doctrina ibidem Quæst. 94. art. 6; nempe legis naturalis præcepta quædam primaria esse, communissima, & omnibus nota; alia autem secundaria, quæ sunt quasi conclusiones ex primis principiis. Priora illa principia nullo modo possunt a cordibus hominum deleri in *universali*, delentur tamen quandoque in *particulari operabili* propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Præcepta vero secundaria deleri possunt de cordibus hominum vel propter malas persuasiones, vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos, sicut apud quosdam peccata non reputabantur latrocinia, vel etiam vitia contra naturam, ut Apostolus dicit Rom. I. Ex qua doctrina patet, legis naturalis ignorantiam semper ex aliqua culpa provenire. Addunt Theologi, hanc ignorantiam nunquam esse invincibilem, quia minus naturæ viribus, saltem viribus gratiæ

tijæ superari potest, quam Deus facientibus, quod in se est, non denegat (e). Advertendum demum est, quoddam esse medium inter perspicuam, & nullam legis naturalis cognitionem; potest enim cognosci, obscure, & sine certitudine: superest igitur in nostra ratione aliquod crepusculum lucis, quod tamen a lumine revelationis augeri postulat, ut omnia juris naturalis præcepta perspicue, plene, & sine errore cognoscamus.

VIII. Sed aliquibus captu difficile videtur, supernam hanc revelationem, quam necessariam esse dicimus, toti fere mundo ante Christum defuisse, & adhuc multis populosissimis nationibus deesse; hoc enim minime cohærere videtur cum infinita

Difficultas
petita ex
revelationis
defectu.

(e) Videri potest P. Jo. Vinc. Patuzzi Tom. I. *Theol. moral.* Tract. II. cap. 7. §. 7, ubi observat discrimen inter legem positivam, & naturalem; quod nempe lex naturalis innata homini sit, ejusque cognitio naturæ innocenti debita, tum quod homo semel ac rationis sit compos, eidem subjectus sit; unde infert, Deum facienti, quod in se est, non denegare gratiam, qua ea cognoscat, quæ vi legis naturæ cognoscere debet. Contra autem lex positiva non est homini insita, utpote quæ pro objecto non habet illud, quod est intrinsece bonum, aut malum, sed quod ex se est indifferens, fitque ex ipsa lege bonum, aut malum, quamobrem ignorari inculpate potest.

Solvitur.

nita illa Dei bonitate, ac providentia, quæ hominibus necessaria semper suppeditat. Sed imo ab adversariis sciscitor, quid ipsi responderent, si quis eandem difficultatem moveret de acumine rationis, quod certe necessarium est ad veri, honestique præcepta indaganda; quo tamen permultos homines, immo & integros populos in Africa, & America orbatos esse negare non possunt? Anne propterea Dei bonitas, aut providentia incusanda erit? Deinde hanc divinam revelationem initio mundi factam fuisse, dubitari non potest, & ab Adam primo, deinde a Noe in filios, ferosque nepotes traditione propagatam. Quodsi alicubi vel commentitiis fabulis, & perniciosis erroribus contaminata fuit, vel etiam quasi penitus abolita, id vitio hominum, non providentiæ defectui tribuendum est. Deus enim quantum in se est, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Jo. I. 9.

Ex necessitate revelationis non invehitur pyrrhonismus.

IX. Neque vero, ex quo humanam rationem omnibus veritatibus sive theoreticis, sive practicis ordinis naturalis perfecte assequendis imparem dicimus, Pyrrhonismi, aut Scepticismi jure incusabimur, ut quidam immerito nobis objiunt;

cum

cum potius ad scepticismum vitandum lumen rationis (quod non quidem nullum, sed debile, & in plerisque incertum dicimus) aliud lumen multo clarius, & undequaque certissimum divinæ revelationis adjungendum esse putamus. Ceterum nos ipsi in super. Sect. ex solo rationis lumine multas veritates solide confirmavimus; sed haud inviti fatemur, Imo easdem veritates, saltem puras, & defæcatas, vix a ratione inveniri potuisse, nisi lumen revelationis præcessisset (f): 2do ita a superna revelatione ipsas confirmari, ut nullum amplius superesse possit dubium.

X.

(f) Præclara est Lud. Vives Lib. I. de *Veritate Fidei* animadversio: *apertis semel a Christo thesauris veritatis eæ deinceps rationes ab iis, qui doctrinæ illi cælesti paruerunt, sunt de pietate inventæ, tam liquidæ, tam apertæ, validæ, efficaçes, inexpugnabiles, ut miremur, non incurrisse illas in oculos eorum, qui inter gentes sapientiam profitebantur &c.* Similia fere observarunt Jo. Lockius in *Christianisme raisonnable*, & Sam. Clarckius *Discours sur la Religion naturelle, & revelée* prop. 7. In multis rebus haud inepte Bælius rationem humanam Penelopi comparabat, quæ telam, quam diu contexerat, noctu retexebat; quamvis auctor iste hoc principio intemperanter utens ad Pyrrhonismum sæpius declinavit.

Gazzan. Theol. pol. N

Obje&io ab
experientia
veterum
Philos. de-
ducta.

X. Auctoꝝ longæ præfationis *Tracta-
tui rationis humane* præmissæ magno
eruditionis apparatu rationis humane ex-
cellentiam extollere conatur, pluraque
affert veterum exempla, qui illius ope,
seposita omni revelatione, plenam, ab-
solutamque juris naturæ doctrinam tradi-
derunt, ut Socrates, Plàto, Cicero, Se-
neca, Epictetus, Plutarchus, M. Aure-
lius, aliique, qui talia, & tam pura Ethi-
cæ præcepta tradiderunt, ut multos no-
strorum Casuistarum supputere deberet.
Multo plures ex recentioribus eandem spar-
tam sine revelatione feliciter adornarunt.

Solvitur.

XI. Primo tamen nescio, quo funda-
mento dicatur, veteres illos Philosophos
omni prorsus revelatione fuisse destitutos;
cum nonnulla saltem ejusdem principia
παράδοσι conservata fuisse, res sit pene cer-
ta. Id gravibus argumentis non ita pri-
dem confirmavit P. Castus Innocens An-
saldi in opere *de principiorum legis na-
turalis traditione*. Ex commercio etiam
cum sapientibus judaicæ gentis multa eos
didicisse, sin minus undequaque certum,
saltem admodum probabile est. Multo
autem plura ii discere potuerunt, qui
post Evangelium promulgatum floruerunt.
Hinc etiam observatum fuit, Epictetum,

tum, Plutarchum, M. Aurelium, Maximum Tyrium, Porphyrium, Jamblichum in minores absurditates, quam eorum magistros prolapsos esse; quia nempe ex luce Evangelii, saltem in hac parte, plurimum profecerunt. 2do jam supra (§. VI.) ostensum est, veteres Philosophos in pluribus, maximisque rebus errasse, quo vel solo argumento luculenter necessitatem revelationis evicimus. Utrumque potiori jure de nuperis scriptoribus dicendum est; scilicet ipsos ex doctrina revelata veritates primo hausisse, quas ratione postea confirmarunt: deinde ubi rationi habenas laxarunt, revelatione deserta, errorum scopulos vitare non potuisse (g).

XII. Sed si res ita se habet, inquit aliqui, quomodo naturalis Religio a revelata distinguetur? Resp. distinctio inter Religionem *naturalem*, & *revelatam*, id

N 2

est,

alia objectio ex distinctione inter legem naturalem, & supernaturalem.

(g) Errorum portenta, in quos recentiores increduli lapsi sunt, videri possunt apud Gauchat *Lettres critiques* &c., tum in lepido opusculo, cui titulus: *Memoires, pour servir à l'histoire des Cacovaes*, ubi perpetua ironia nostrorum incredulorum, sæda errata publicæ indignationi exponuntur. Nimis autem longum esset dicere de Probabilistis Ethicæ Doctoribus, seu potius corruptoribus, qui a revelatis principiis recedentes, suæque rationi plus æquo confisi morum scientiam turpissime dehonestarunt.

est, inter has duas Religionis, quæ non nisi una est, partes, in eo sita est, quod veritates naturales nostræ rationis captum non superant, cujusmodi sunt illæ, quas in duabus sect. præcedentibus pertractavimus; veritates autem supernaturales, rationis nostræ lumen longe excedunt, ut proinde ab ea nunquam inveniri potuissent, cujus generis sunt nostræ Religionis mysteria. Revelatio autem divina in utrisque necessaria est, sed modo longe dispari; in veritatibus enim ordinis supernaturalis tanta est illius necessitas, ut sine ea ratio nostra nihil prorsus detegere possit, ut patet ex. gr. in mysteriis Trinitatis, Incarnationis &c.; in aliis autem superno lumine indigemus propter præsentem naturæ nostræ infirmitatem: eo ferme modo, quo aliqui obtusa, atque hebetata oculorum acie perspicillis indigent, ad ea etiam objecta videnda, quæ alioquin nudo oculo, si sanus sit, & robustus, videre possunt.

Cicronis
observatio.

XIII. Hanc naturæ infirmitatem vel ipse ethnicus Cicero vidit, eamque Lib: III. *Tuscul. Quæst.* ex diversis causis repetebat, omissa præcipua illa originalis corruptionis, quam revelationis lumine destitutus cognoscere non poterat. Si-

mul-

mul atque, inquiebat, editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuo pravitare, & in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmata natura ipsa cedat. Multaque alia tradit, quæ a nostræ rationis inflatoribus legi mererentur (h).

C A P U T II.

Contra Naturalistas evincitur, necessariam esse Religionem supernaturalem, quæ nonnisi Dei revelatione innotescere potest.

XIV. **A**ntequam id evincamus, sciscitamus a Naturalistis, unde
Religio supernaturalis est possibilis.

N 3

nam,

(h) De hac materia, quam summi momenti esse existimo, multa habet S. Thomas I. P. Quæst. I. art. 1. tum 2. 2. Quæst. 2. art. 4, & adhuc fufius Lib. I. contra Gentiles cap. 4. Multa etiam inveniuntur in Colleçione Scriptorum, qui Religionem defenderunt facta a Burneto, apud Sam. Clarke de l'existence, & des attributs de Dieu Tom. II. cap. 9. & seq., & apud J. Leland in nova demonstratione Evangelica.

nam, & quomodo tam indubitanter affirmare audeant, eam Religionem, quam ipsi *naturalem* appellant, homini plene sufficere, ut nulla alia supernaturaliter a Deo revelata opus habeat (i)? Inficiari ne possunt, hanc supernaturalem Religionem esse possibilem? Eccur enim non potuisset Deus præter eas veritates, quæ rationis nostræ lumini perviæ, & consentaneæ sunt, alias manifestare sublimiores, quas homo naturali intelligendi vi nullatenus assequi valeat? Cur præter ea præcepta, quæ ad naturalem legem spectant, alia nobis imponere nequivit, quæ ab
 ipsius

(i) Incredibilis est hac in parte Naturalistarum securitas. Rousseavius in suo *Emile* Tom. III, postquam Religionem naturalem suo modo exposuit, omnes eloquentiæ nervos intendit, ut eam solam sufficere ostendat, aliamque revelatam neque necessariam esse, neque utilem; ad Religionem autem naturalem omni ex parte cognoscendam solum naturæ spectaculum, & rationis nostræ lumen consulendum esse. Id ipsum magno conatu molitur Auctor libri *les Moeurs*, qui etiam P. I. ch. 3. art. 2. contra sacerdotes invehitur, quod munus Deo sacrificia offerendi sibi usurpaverint, & variis inventis exteriorum cultuum generibus Religionem ubique deturpaverint. Porro non est ejus scopus reprehendere introductas in Religionem superstitiones, sed ipsam a Deo nobis præceptum exterioris cultus modum, ut ex impio ejus opere liquet.

ipſius libera voluntate dependeant? Hęc ſola conſideratio ſatis eſſe videretur illorum temeritati compescendæ, qui Religionem naturali contentos ſe dicunt, nec de aliis veritatibus a Deo revelatis ſollicitate inquirendum volunt.

XV. Haud me latet, jaçtare Naturaliſtas, evidenti ſe ratione duci ad omnem ſupernaturalem Religionem repudiandam. Sed imo ſup. cap. jam oſtenſum eſt, quæ, & quanta ſit rationis noſtræ in hujusmodi rebus imbecillitas, ut prudentis hominis non ſit in negotio tam gravi ei nimium fidere. 2do cum tam ſæpe ad rationis tribunal appellent, eos percunctari libet, de qua ratione loquantur? An de propria ipſorum, an de aliorum hominum? Si propriam rationem hujus, aliarumque ſimilium controverſiarum judicem ſtatuant, jure ab iis poſtulabimus, ut prius titulos oſtendant, quibus poſſint ſe judices, eoſque infallibiles harum rerum conſtituere, nosque ad intellectum noſtrum ipſorum luminibus ſubjiciendum adigere. Si vero dicant, poſſe, ac debere unumquemque privatum ſuæ rationis lumen conſulere, tunc certe omnis controverſia tolletur, ſed ſimul etiam tolletur unitas Religionis & tot erunt Religiones, quot hominum

Quo jure
Naturaliſtæ
ejuſ exi-
ſtentiam
negent?

capita; & Materialistæ, Epicurei, atque ipsi Athei, non minus quam Naturalistæ ad propriam rationem, tanquam ad supremum tribunal provocabunt. Si demum suffragiorum pluralitate rem definiendam esse concedant, quilibet videt, eos causa cecidisse; maxima enim hominum non rudium tantum, sed doctorum etiam pars Religionem supernaturalem amplecti se profitetur.

Quæ variis
argumentis
probatur.

XVI. Neque vero id sine ratione; plura enim in P. *Isagog. Theol. dogm.* §. 16. & seq. allata sunt argumenta, quibus hujus supernaturalis revelationis necessitas evidenter est demonstrata; & tunc quidem breviter, prout *systematica* methodus postulabat, præstat autem modo aliquanto fusius, & accuratius pertractare saltem argumentum illud, quod ex necessitate cognoscendi debitum Deo cultum ducitur, quem sine cœlesti revelatione certo determinare non possumus.

Potissimum, ut
cultum Deo
debitum
cognosca-
mus,

XVII. Ratio quidem solo naturali suo lumine nos dubitare non finit, Deo debitum esse cultum, eumque non internum solum, sed etiam externum; sed quando agitur de determinando, quis, & qualis hujusmodi cultus esse debeat, tunc ratio caligat, & a Deo ipso per revelationem
illu-

illustrari postulat. Et quamvis Philosophi lumine naturali nonnulla, eaque recta de interiori Dei cultu præceperint, nemo tamen illorum eo pervenit, quo nos Religio revelata perduxit, ut scilicet Deum solum tanquam ultimum nostrum finem amemus, alia autem quæcunque bona ad Deum ipsum referantur; ut amemus etiam nosmetipsos, sed nonnisi propter Deum; amemus alios homines, sed item in Deo; quo fit, ut vel ipsos inimicos in Deo diligere teneamur. Hinc illud magnum discrimen toties a S. Augustino notatum inter virtutes Christianorum, & Paganorum; quamquam enim officiis videantur eædem, finibus tamen admodum distinguuntur; nec dubitabat S. Doctor bona quæque hominum officia, nisi ad Deum referantur, *vitia* potius appellare, quam *virtutes* (k).

N 5

XVIII.

(k) Id præcipue data opera præstitit S. Doctor in Lib. IV. Cont. Iul. cap. 3, ubi ita Julianum alloquitur: *Noveris, non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est; finis vero, propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur, & Lib. IX. de Civit. Dei. cap. 25, Virtutes . . . nisi ad Deum retuleris, etiam ipsa vitia sunt potius, quam virtutes,*

Et modum,
quo eum
oremus.

XVIII. Quanta insuper apud Ethnicos ignorantia in precibus ad Deum fundendis, quarum objectum fere nullum aliud erat, quam bona temporalia, immo nunquam, ut vel ipsa furta, adulteria, aliaque pejora facinora feliciter patrare possent: cœlestis autem Magister noster primum nobis quærendum esse docuit regnum Dei, & justitiam ejus Matthæi VI. 33. Et ut cetera omittam, quisnam Philosophorum tam excellentem orationem invenit, qualem Christus nobis tradidit Matthæi VI. 9. *Pater noster &c.*? (cujus digna est, quæ legatur, expositio S. Thomæ Opusc. VII. Edit. Bergom. 1741). Hinc apparet, quam merito Tertullianus dixerit in Libr. de *Orat.* cap. 9, *solum Deum docere potuisse, ut se vellet orari*; quamobrem etiam discipulus ille Luc. XI. 1. Christum rogabat: *Domine, doce nos orare.* Et quæ de oratione dicta sunt, dici pariter debent de gratiarum actione; quemadmodum enim Ethnici in suæ rationis tenebris rectum orandi modum ignorabant, ita etiam Deo de acceptis beneficiis gratias, ut par est, reddere nunquam didicerunt; unde illud Cottæ apud Ciceronem Lib.

III.

III. de Nat. Deorum: virtutem nemo unquam acceptam Deo retulit.

XIX. Sed quantum attinet ad cultum exteriorum, adhuc luculentius inde revelationis necessitas demonstratur. Et quidem illum etiam Deo deberi, ratio ipsa persuadet, quidquid Naturalistæ quidam contra eum iussissent. Imo enim ubicunque Religio aliqua viget, ibi etiam cultum externum adhiberi novimus, ut communis sit hominum sensus, nullam sine externo cultu Religionem esse posse. 2do cum homo spiritu, & corpore constet, utriusque sacrificium Deo offerendum esse, ratio dicat, spiritus quidem cultu interno, corporis autem externo. 3tio cum bona omnia Deo in acceptis referre debeamus, æquum est, ut id opere etiam externo testemur, per eorundem bonorum oblationem. Denique cum homo in societate sit constitutus, rationi etiam consonum videtur, ut coram aliis Deum aliquibus exterioribus signis se colere ostendat, cum prima societatis humanæ lex esse debeat cultus Dei. Vid. S. Thomas 2. 2. Quæst. 85. art. 1.

Necessitas
cultus ex-
terni.

XX. At vero seposita divina revelatione aut nullatenus, aut saltem certo cognosci nequit Θεοπρέπεια seu cultus di-

Quem sola
revelatio
determina-
re potest.

vinæ Majestati conveniens. Si enim Principes constituere solent, quibusnam obsequii, atque observantiæ signis se velint a subditis coli, quanto magis ad summum Deum spectabit illum cultum discernere, & revelare, quo à nobis vult honorari? Id non fugit vel ipsum Platonem, qui in *Epinomide* ait, *neminem pietatem docere posse, nisi Deus, quasi dux, & magister præiverit; & rursus in Alcibiade II. Socratem adducit, qui post multa hac de re sapienter dicta, concludit, nihil tutius, atque consultius esse, quam quiescere, & expectare, donec aliquis didicerit, quo animo & erga Deos, & erga proximos esse oporteat: quæ repetit etiam in Phadone (1). Hinc vel ipsi, qui inter Ethnicos externum Religionis cultum invehere voluerunt, necessarium esse arbitrati sunt, supernam aliquam revelationem simulare, Id ab*

Ægy-

(1) Hæc desumpta fere videntur ex Sap. IX. 17, ubi dicitur: *sensum tuum quis sciet, nisi tu derideris sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis: & sic correctæ sunt semitæ eorum, qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines? Nat. Alexander in Hist. V. T. in IVta. mundi ætate Dissert. III. art. 2. ostendit, veteres Patriarchas nonnisi ex divina revelatione didicisse sacrificia Deo offerre.*

Ægyptiis factum fuisse narrat Plato in *Timeo*, nec non Josephus Lib. I. contra *Apionem*. Idem refert Dion. Hali- carnassæus Lib. XI. de Numa Pompilio. Minos Cretensis frequenter ascendebat montem Dicten, fingens se Jovis præcepta ibi audire; ac demum Lycurgus Delphum perrexit, ut ab oraculo Apollinis sacras leges disceret, quas Lacedæmoniis daturus erat. Hæc omnia figmenta ostendunt, animis hominum semper insitum fuisse, leges religiosi cultus non ab hominum ratione, sed a Dei ipsius voluntate proficisci debere.

XXI. Nec satis est respondere cum Auctore Libri *les mœurs* P. I. chap. 2. art. 1, aut cum Rousseavio in Tomo III. *Emile*, Deum omni cultu contentum futurum, dummodo principiis Religionis naturalis non opponatur: omnium autem optimum esse, se legibus, vel usibus locorum accommodare; neque enim alia ratione exteriorem cultum esse institutum, nisi ut membra alicujus societatis in publica professione unius Religionis simul uniantur, adeo ut si unus esset homo in terra, ille foret ab omni exterioris cultus debito immunis.

Responso
Naturali-
starum.

Refutatur.

XXII. Verum quis unquam sibi persuadeat, Deum sapientissimum rerum omnium provisorum, qui cuncta, vel minutissima ad gloriam suam ordinat, atque disponit, hominum arbitrio permittere voluisse, ut quem quisque vellet, ipsi religiosum cultum adhiberet? Anne Philosophi nostri Quackerorum deliramenta probabunt, qui a Deo interius movente, seu potius a cujuslibet enthusiasmo modum religiosi cultus determinandum esse censent? Ulterius, si ita res se habet, etiam Deo accepta fuerunt horrenda illa sacrificiorum monstra, quibus antiqui Gentiles, etiam cultiores supremo Numini litare consueverunt; nec improbari amplius poterunt Bacchantium deliria, mysteria Orphica, & Eleusina, aliaque a Clemente Alexandrino in *Protreptico*, & ab Arnobio in *Libris contra Gentes* commemorata; nec humanæ hostiæ, quales apud Scythas, Persas, Germanos, Gallos, Britannos, imo & Græcos, & Romanos olim immolabantur (m); nec de-

(m) De Scythis id testatur Strabo Lib. XII, & Lucianus *de sacrificiis*; de Persis Herodotus Lib. VII; de Germanis Tacitus *de moribus Germanorum*; de Gallis Cicero *Orat. pro Fontejo*, & Cæsar Lib. VI. *de bello Gallico*; de Bretonibus

demum cultus omnium pessimi Fauno, & Capro dicati, aut florales ludi, in quibus, ut S. Augustinus loquitur Epist. 91, alias 202, *non aves, non quadrupedes, non denique sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus* Diis offerebatur.

XXIII. Porro nihil dictu facilius est, quam abominabiles hujusmodi ritus, & superstitiosa sacrificia cum ratione ipsa pugnare. Id equidem libenter concedo, & supposito revelationis lumine facile demonstratur; sed si rationem solam consulere velimus, non deerunt, qui hanc repugnantiam non videant; ut enim scite observavit Bossuetus in serm. de *Histor. univ.* cap. 16, mores hi, qui nobis absurdissimi videntur, non apud barbaras tantum, sed apud omnium cultissimas nationes quondam obtinuerunt: non ergo iis cum recta ratione pugnantibus visi sunt, ut nobis videntur.

Refutatio-
nis conti-
nuatio.

XXIV.

bus Plinius *Hist. Nat.* Lib. XXX; de Græcis Eusebius Lib. IV. *Præparat. Evang.* cap. 16, Virgilius Lib. II. *Æneidum* v. 116. De Romanis autem id tradunt Lactantius Lib. II. *Divin. Instit.* cap. 10, & S. Athanasius In Orat. *contra Gentes* n. 25. Plura in hac re collegerunt Jac. Geusius in suo opere *viçtima humane*, & Petrus Petit Lib. XI. de *αθηρωποράγοις* cap. 10. & 11.

Malum
Rousseavii
ratiocinium
refellitur.

XXIV. Neque audiendus est Rousseavii, qui ansam hinc sumit, revelationis utilitatem, aut necessitatem explodendi, quia ex phantastica ipsa revelatione hæc cultuum absurda monstra prodierunt. Non inquam; potuisset enim vir acutus facile videre, non quamcunque imaginariam, sed veram, ac divinam revelationem esse ad legitimum Dei cultum determinandum necessariam; quinam autem sint veræ, ac divinæ revelationis characteres, infra cap. IV. declarabitur.

In cultu externo simulatione utendum non est.

XXV. Neque demum Naturalistis concedi potest, quod supra (§. XXI.) post Ciceronem, Epictetum, aliosque veteres sapientes contendebant, debere nos in externo Religionis ritu legibus, ac consuetudinibus locorum accommodare. Id enim si verum foret, sequeretur, callida simulatione uti nos posse, atque exterius mentiendo eos ritus exercere, quos interiorius ridiculos, absurdosque putamus; quod etsi a quibusdam Philosophis olim factum fuisse non ignoramus, an tamen rectæ rationi, & honestati, ac veritati consentaneum sit, adversariis ipsis iudicandum relinquimus. Eademque ratione exploditur illud postremum, scilicet non alia de causa fuisse externos religionis

ri-

fitus invecos, quam ut membra alicujus societatis simul uniantur, sed potius, ut supra dictum est (§. XIX.), ut Deo integri hominis obsequium & cultus tribuatur. Quamobrem si quis extra societatem solitarius viveret, Deo tam interne, quam externe colendo adhuc adstringeretur (n).

XXVI. Contra exteriorem Dei cultum hæc objiciunt Naturalistæ. Imo Deus se ipso beatus, suisque pollens opibus eo non indiget. 2do quoniam sit verus cultus Deo placens, ita explicat Minutius Felix in *Octavio* cap. 32: *qui innocentiam colit, Deo supplicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet,*

Objeçtiones contra cultum externum.

(n) Alias solidiores externi cultus rationes affert S. Thomas Lib. III. *contra Gentiles* cap. 119, atque eam præcipue, quam postea allegavit etiam Concilium Tridentinum Sess. XXII. cap. 5. inquiens: *cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam - - - instituit &c.* Hæc autem verba non indicant, ipsum essentialem Dei cultum externum, sed quosdam duntaxat ejusdem ritus, ac cæremonias accidentales esse ab Ecclesia constitutas, quod patet tum ex ipso contextu, tum maxime ex Canonibus hujus Sessionis XXII.

net, propitiat Deum; qui hominem periculo surripit, opimam victimam cedit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt: sic apud nos religiosior est ille, qui justior. Si quis ergo Deo cultus externus exhibendus est, hic totus in legis naturalis observatione consistit.

Prima resolvitur.

XXVII. Prima difficultas facile tollitur, observando cum S. Thoma 2. 2. Quæst. 81. art. 7, Deum a nobis cultum exigere tam internum, quam externum, non propter se ipsum, quia ex se ipso est gloria plenus, cui nihil a creatura adjici potest, sed propter nos, quia videlicet per hoc, quod Deum reveremur, & honoramus, mens nostra ei subjicitur, & in hoc ejus perfectio consistit. Quod paucis verbis ita expressit S. Augustinus in Quæst. 3. ad *Paganos: nobis prodest colere Deum, non ipsi Deo.* Et si ulla esset hujus argumenti vis, non externus solum, sed etiam internus Dei cultus ablegandus esset, cum Deus neutro egeat.

Resolvitur etiam secunda.

XXVIII. Quæ autem ex Minutio Felice allata sunt, non significant, nulla esse in Religione christiana sacrificia, nullumque exteriorem cultum; quis enim sibi persuadeat, Minutium hæc omnia improbasse, quæ a Christianis ubique exercabantur.

bantur? Sed ostendunt tantummodo, primum, & præcipuum Dei cultum in accurata legum observantia consistere.

XXIX. Contra necessitatem autem divinæ hujus cultus revelationis has præcipue movent difficultates. Imo revelatio est medium extraordinarium, supernaturale, obscurissimis arcanis & mysteriis refertum: non itaque videtur accommodatum naturali hominum vitæ, quæ potius ratione dirigi postulat. 2do hoc medium imposturis, & deceptionibus obnoxium est; facile enim hoc modo homines vel ab aliis, vel etiam a se ipsis decipi possunt (ita Hobbesius in *Leviathan* cap. 16). 3tio addit auctor impii Libri: *Le Militaire philosophe*, hanc revelationem, si est necessaria, omnibus, & singulis hominibus fieri debuisse.

Object. contra revelationem divini cultus.

XXX. Sed leves sunt istæ difficultates; Ima enim jam antea soluta est (capp. I. & II.), ubi ostendimus tum ex rationis infirmitate, tum ex naturalis legis insufficientia necessitatem divinæ hujus revelationis: necessaria scilicet est I mo, ut quæ naturalis rationis lumine difficiliter investigari possunt, facilius, & certius revelatione innotescant: 2do ut alia addisca-

Solvitur prima.

212 *De necessit. revelat. supernat.*

mus, quibus ad finem nobis supernaturaliter præstitutum pervenire possimus.

Solvitur
secunda.

XXXI. Quantum attinet ad 2dam difficultatem, jam supra (§. XXIV.) obiter observatum est, & inferius data opera ostendetur, quasdam esse certissimas notas, quibus vera Dei revelatio ab hominum imposturis, vel a dæmonum illusionibus secerni queat. Quodsi aliqui nonnunquam decepti sunt, aut alios deceperunt falsis revelationibus, non inde efficiuntur, veram revelationem non existere, aut utilem, & necessariam non esse; nisi velimus una cum Balbo apud Ciceronem Lib. III. de *Nat. Deor.* concludere, nullam nobis a Deo dari debuisse rationem, quia ea & pauci, & raro bene utuntur, plurimi autem ratione peccant.

Solvitur
tertia.

XXXII. Nihil autem ineptius, quam contendere, hanc revelationem omnibus, & singulis hominibus interno quodam instinctu tribui debuisse. Placuit Deo, eam certis hominibus impertiri, eandemque indubiis notis, & characteribus insignire, ut singuli homines, si prudentia uti velint, suæque salutis esse solliciti, eam facile cognoscere queant.

Ineptum
Roussavii
commen-
sum

XXXIII. Ineptum pariter est, quod
Contra hujus revelationis necessitatem
Rouf-

Rouffeavius objicit Tom. III. *Emile*, videlicet, ea supposita posse quemlibet in sua secta, quam ex divina revelatione oriri existimat, tranquille vivere; aut si veram a falsa revelatione discernere velit, longum, ac pene infinitum examen illi esse suscipiendum, & omnes, vel saltem præcipuos cujuscunque religionis libros evolvendos, immo vel ipsas regiones, in quibus illæ vigent, penetrandas, ut quænam jure, quænam autem immerito divina revelatione glorientur, liquido compertum habeat. Neque enim, inquit, debemus paradoxum illud Stoicorum exemplum imitari, qui, ut Plutarchus narrat, nonnisi unam litigantium partem audiendam esse existimabant. Porro, cum hoc examen impossibile sit, satius erit, naturali religioni acquiescere, quæ apud omnes una, eademque est,

XXXIV. Ineptit, inquam, Rouffeavius, neque advertit, primo posse hoc ipsum contra eum retorqueri. Vult enim, solam naturalem Religionem sufficere; verum major, & melior hominum pars, non solum in nostra Europa, sed & in aliis remotioribus mundi plagis ei contradicit. Vel itaque Stoicorum more ipse solus litem dijudicabit; vel si adversarios

Contra
ipsum re-
torquetur

audire constituit, debet immensa omnium gentium volumina pervolvere, & longis peregrinationibus totum orbem lustrare, ut tuto demum pronuntiare ex suo tripode possit, solam Religionem naturalem ad bene beateque vivendum sufficere. Neque hoc satis erit; hac enim finita controversia novæ exorientur non minores, in quonam Religio ista naturalis sita sit? Quænam ejus præcepta, & officia tum erga homines, tum maxime erga Deum? Quinam hominum finis, & quænam vera felicitas? Et cum de his omnibus tam veteres, quam novi Philosophi tanta sint in dissensione constituti, quis poterit omnia unius cujusque partis argumenta perpendere, ut sententiam jure pronuntiet?

Et exploditur.

XXXV. Sed facile est etiam directe hanc difficultatem expedire. Nam sicuti ut veros nummos cognoscamus, necesse non est, omnes adulterinos cognoscere, & cum veris conferre, ita opus non habemus, omnes falsas sectas ad examen vocare, sed tot, tantaque sunt credibilitatis motiva, quibus nostra Religio revelata fulcitur, ut quilibet etiam idiota, modo serio attendere velit, divinos ejus characteres agnoscere possit. Miracula enim

enim insignia, & certa in hujus revelationis confirmationem facta homines etiam illiteratos convincere possunt. Si quis tamen comparatione instituta alias sectas ad examen vocare vellet, non omnes illi Bibliothecæ adeundæ essent, nec omnia volumina pervoluenda, multoque minus per omnes regiones mundi divagandum; sed lectis libris symbolicis, expensisque cujuslibet sectæ motivis credibilitatis, nullus dubito, quin statim ab hominum imposturis Dei vocem discernere queat. Neque vero eum laboris pigere debet; nullum enim est aliud in tota vita negotium, in quo majorem industriam, ac diligentiam exerceri oporteat (o).

XXXVI. Instat tamen Genevensis Naturalista, contendens, hinc saltem oriri impedimentum ad obtinendam salutem plerisque insuperabile; quomodo enim, inquit, poterunt homines inculti, & sylvestres ad hujus supernaturalis doctrinæ cognitionem pervenire? Resp., Deum,

Infantis
Rousséavii
respondetur.

O 4

qui

(o) Quanta sit Religionis addiscendæ necessitas, & quam vana sint eorum effugia, qui hoc studium negligunt, luculenter ostenditur in Tom. I. de l'Exposition de la doctrine chrétienne, discours sur la nécessité d'étudier la Religion.

qui huic supernaturali, & revelatæ Religioni nos adstrinxit, etiam media suppeditare, quibus eam cognoscere, & observare valeamus. Quodsi aliqui hujus mediis carent, id eorum culpæ adscribendum est, qui divinæ luci, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, obstacula ponunt: & certissime tenendum est, hominibus etiam rudibus, & sylvestribus, si divina opitulante gratia facerent, quod in se est, sequentes ductum rationis in fuga mali, & appetitu boni, Deum vel solitis, vel etiam insolitis, & prodigiosis modis provisorum, ut de necessariis ad salutem instruerentur. Leg. S. Thomas Lect. III. in cap. X. Epist. S. Pauli ad *Rom.* (p).

Cultus relig. Christi essentialis est a Deo revelatus.

XXXVII. SCHOLION. Cum dicimus, nonnisi ex divina revelatione hominibus innotescere potuisse cultum exteriorem Deo dignum, & quo nos oportet ipsum
in

(p) Frustra Rousseavius Tom. III. *de l'Emile* hanc S. Thomæ doctrinam, quæ ab universo Theologorum choro adoptatur, tanquam omni carentem fundamento irridet; eam enim S. Doctor non solum ut divinæ bonitati, & misericordie consentaneam tradit, sed etiam exemplis confirmat, nempe S. Petri, quem Deus misit Cornelio Act. X, & S. Pauli, qui Macedonibus missus fuit Act. XVI.

in spiritu, & veritate adorare, non intelligimus quascunque sacras cæremonias, aut laudabiles consuetudines, quæ in Ecclesia catholica vigent, sed illum cultum essentialem, qui situs est ex. gr. in fabricati sanctificatione, in sacrosancto Missæ sacrificio, atque in sacramentorum usu; quæ omnia non ex Ecclesiæ, sed ex Dei ipsius institutione procedunt. Multæ autem, quæ hujusmodi cultui essentiali adjectæ sunt, cæremoniæ, partim ex Apostolica disciplina, & traditione, & partim ex Ecclesiæ auctoritate descendunt, ut potissimum de ritibus, qui adhibentur in Missæ sacrificio, synodus Tridentina declaravit sess. XXII. Quæ autem in veteri lege præscriptæ erant cæremoniæ, fuerant a Deo ipso Moyfi revelatæ, ut patet potissimum ex Libro *Leviticæ* (q).

O 5

CA-

(q) Non est hujus loci ea expendere, quibus Jo. Marshamus in *Canone Chronico Ægyptiaco, Hebraico, Græco &c.*, & Spencerus de *Legibus Hebræorum ritualibus* conati sunt ostendere, plurimas sacras cæremonias ab Ethnicis ad Judæos promanasse; aut ea, quibus nonnulli heterodoxi ab Alberto Fabricio memorati in *Bibliogr. antiquar.* cap. 4. Ecclesiæ catholice exprobasunt, plures ex nostris sacris ritibus fuisse a gentilibus mutuatos. Magno molimine id conatus est Mussardus in *Lib. Conformité des*

C A P U T III.

Religio a Deo revelata continere potest mysteria, quæ nostram rationem longe superant, ei tamen non opponuntur.

Probatur
ex natura
rerum re-
velatarum.

XXXVIII. **N**ihil magis nostris Naturalistis invisum, quam *mysterii* nomen, quod a Religione omnino eliminatum vellent (r). Verumtamen
cum

des ceremonies modernes avec les anciennes &c. cui succenturiator accessit Middletonius in longa Epist. & Præfat. memorato Mussardi libro præmissis Edit. Amstelod. 1744. Contra Marshamum, & Spencerum consuli possunt Nat. Alexander in *Hist. V. T. in 3tia mundi ætate* Dissert. 6, Calmet *Dissert. proœmiali in Genesim*, Hermannus Witfius in *Ægyptiacis &c.* Contra alios vero Brueys *Defense du culte exterieur Cathol.*, Jo. Marangoni Vicentinus *Delle cose gentilesche, e profane trasportate ad uso, e ad ornamento delle chiese* cap. 44, & P. Antoninus Valsecchi *de Fondam. della Religione* L. 3. P. 2. cap. 6.

(r) Post Jo. Tolandi impium librum, cui titulus: *Christianismus mysterii expers* Lond. 1702. omnes conatus suos ad mysteria explodenda exeruit auctor epistolarum *sur la Religion essentielle à l'homme*. Eum autem inter alios statim, ac prodiit, refutarunt D. de Roche in *Lib. Defense du Christianisme* Genevæ 1740, Boullier *Lettres sur les vrais principes de la Religion &c.*

Am-

cum divina revelatio nobis multa proponat, quæ ipsius Dei essentiam, attributa, voluntatem, decreta, præcepta, atque opera spectant, quid facilius contingere poterat, quam quædam revelari, quantum ad existentiam, non autem quantum ad modum, quo existunt; & quæ proinde nobis totidem ænigmata videantur; hujusmodi autem sunt, quæ Religionis mysteria appellantur, quatenus eorum existentiam credimus propter divinam revelationem, modum autem, quo existunt, non videmus, quia illum nobis manifestare Deo non placuit.

XXXIX. Sane vel in ipso naturali rerum ordine plures veritates sunt evidenter demonstratæ, quamvis modus, quo invicem connectuntur, omnino nos lateat. Quanto igitur magis, inferebat S. Thomas Lib. I. *contra Gentiles* cap. 3, illius excellentissimæ substantiæ divinæ omnia

Confirm. similitudine rerum nat.

Amstelod. 1741, Zimmermannus *de causis magis magisque invalescentis incredulitatis*, & Breitingerus in *Examine Epistolarum de Religione essentiali*. Petrus Bælius mysteria videtur admittere, sed postea contendens, ea rectæ rationi repugnare, reipsa tollit. Sociniani deum hac in parte Naturalistis pollicem premunt; cum enim S. Scripturas rationi subdunt, omnia mysteria à Religione eliminant.

omnia intelligibilia humana ratio investigare non sufficit?

Cur religio
mysteria
continere
debeat?

XL. Immo id fieri decuisse ostendit ibidem cap. 5. S. Thomas pluribus de causis. Imo quia homo ad altius bonum, quam experiri in præsenti vita possit, divina providentia ordinatur, oportuit etiam mentem nostram in aliquid altius evocari, quam ratio in præsenti possit pertingere, ut sic discat aliquid desiderare, & studio tendere in aliquid, quod totum statum præsenti vitæ excedit. 2do quia hoc modo sublimiorem habemus Dei cognitionem; tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitare humana ratio potest. 3tio compescitur humana præsumptio, quæ est mater erroris, & discit homo propriæ rationi diffidere, ac totum se divinæ revelationi committere.

Obiectio
contra my-
steria.

XLI. Contra autem hæc objicit auctor Epistol. *de Religione homini essentiali*, religionem evidentem esse debere, utpote omnibus hominibus communem; talem vero esse non posse, si mysteria contineat, quæ vix a doctis, a rudibus autem ne vix quidem intelligi possunt. Neque enim, subdit, possunt homines credere

ex

ex mandato, sed solum veritatis evidentia convicti.

XLII. Resp., religionem utique evidentem esse debere, non tamen evidentia directa, seu intrinseca, quantum ad ipsam mysteriorum essentiam, quemadmodum evidentes sunt geometricæ veritates; sed evidentia indirecta, & extrinseca, ut scilicet indubiis, evidentibusque argumentis constet, Deum, qui nec falli potest, nec fallere, mysteria revelasse; hoc enim ipso certi omnino sumus, ea esse vera, quamquam eorum intrinsecam veritatem non concipiamus. Variis, aptisque exemplis ex naturali rerum ordine de promptis rem hanc illustravit S. Augustinus in Lib. *de fide rerum, quæ non videntur*.

XLIII. Nec propterea quis inferat, mysteria, si quantum ad essentiam non intelliguntur, nihil esse aliud, quam simplices sonos sine sensu, seu verba, quorum significatio nedum a rudi populo, sed vel ab ipsis doctioribus ignoratur. Non inquam; mysteria enim, quantum ad rem ipsam satis distincte cognoscuntur, sed obscura sunt, quantum ad modum. Sic quando dicimus, Deum esse unum in essentia, & trinum in personis, neminem fidelium latet, quid essentia, & quid per-

Solutum.

Mysteria non sunt voces sine sensu.

personæ nomine veniat; quamvis nemo comprehendere valeat, quomodo in una essentia tres inveniantur, personæ. Et adeo verum est, mysteria quantum ad rem ipsam cognosci, ut quotiescunque Hæretici ea corrumpere nisi sunt, Ecclesia eorum errores detexerit statim, & condemnaverit.

Nec consequentiæ ex testimoniis SS. Litt.

XLIV. Neque etiam concedi potest, quod memoratus *Epistolar.* auctor addit, mysteria nostræ Religionis nihil esse aliud, quam illationes, & consequentias ex quibusdam S. Scripturæ testimoniis, quorum sensus obscurus, & ambiguus fuit ab Ecclesia determinatus. Hoc quippe falsum est; mysteria enim quantum ad existentiam perspicue, nitideque revelata sunt, & primo quidem oretenus a Christo Ecclesiæ tradita, post autem ab Apostolis, & sacris scriptoribus litteris consignata. Sed quia successu temporis aliqui male feriatii homines ea aut tollere omnino, aut saltem corrumpere nisi sunt, Ecclesia auctoritate sibi a Deo concessa utens eadem confirmavit, & verum, ac genuinum SS. Litterarum sensum contra Novatorum depravationes determinavit.

Fides nostra est obsequium rationale.

XLV. Abuti etiam solent Naturalistæ illis Apostoli verbis, quibus Rom. XII, I. vult nostram fidem esse *racionabile ob-*

se-

sequium; quasi vero qui myſteria credit, ſine ratione credat. At vero contendimus, nihil magis rationabiliter credi, quam myſteria fidei; non quod ratio intrinſecam eorum veritatem attingat, ſed quia evidentibus motivis inducitur, ut ea a Deo fallere, & falli neſcio revelata eſſe credat. Ut aliquis, inquit pius, & doctus Contenſonius Lib. VII. Theol. mentis, & cordis Diſſ. 2. cap. 1. ſpecul. 2. de 4ta fidei condit., prudenter iis, quæ fides proponit, credat, non ſufficit motio, & pia affectio voluntatis objectum fidei guſtans, & aſſenſum intellectui præcipiens; ſed requiritur inſuper aliqua ex parte intellectus perſuaſio ex argumentorum credibilitatis efficacia orta. Nam male credit, qui leviter credit; leviter autem credit, qui ſine ratione momentis præbet aſſenſum; qui autem bene credit iis debet eſſe rationum copiis inſtructus, ut de fidei credibilitate, non obſtantibus infidelium objectis, dubitare prudenter non poſſit; alias indiſcrete caſui, & fortuna fidem committeret ſuam, nec rationabile, ſed ex impetu foret ejus obſequium.

XLVI. Sed nunquid Deus noſter, inquit Rouſſeavius, eſt Deus tenebrarum,

Vana Rouſſeavii objectio.

&

224 *De Religionis mysteriis.*

& nos intellectu, ac ratione instruxit, ut nihil intelligeremus eorum, quæ credimus? Hic solent adversarii fucum imperitis facere, quasi vero non credamus, quod scriptum est I. Joan. I. 5. *Deus lux est, & tenebra in eo non sunt ullæ*; dicitur tamen alibi I. Timoth. VI. 16. *lucem inhabitare inacessibilem*: immo etiam vocari amat *Deus absconditus* Isaïæ XLV. 15, & *qui posuit tenebras latibulum suum* Ps. XVII. 12; quæ omnia significant, Dei essentiam, attributa, & mysteria esse incomprehensibilia, atque a nobis adoranda, non curiose investiganda. Ex hoc tamen non sequitur, nos intellectu, & ratione orbari, quia hæc mysteria animo comprehendere non possumus; nam potius contra nihil magis rationi consentaneum, quam cognoscere, Deum infinito intervallo intellectus nostri vires superare; & omnia credere, quæ nobis de sua essentia, de tribus Personis, de altissimis voluntatis suæ decretis, aliisque mysteriis ipsi placuit revelare. Addo, nostræ rationi locum non exiguum relictum esse, dum illa potest, ac debet motiva credibilitatis inquirere, & examinare, scilicet illas notas, & characteres, quibus Deus suam revelationem comprobare dignatus est.

XLVII.

XLVII. Solent etiam Naturalistæ ita objicere: finis religionis est, homines bonos facere; ad hoc autem potissimum spectant leges, mysteria nihil omnino conferunt. Qui autem ita objiciunt, minus rectam Religionis ideam habent; hac enim homo totum se Deo obligat, & quantum ad facultatem intelligendi, quæ Deo consecratur, dum captivatur in obsequium fidei; & quantum ad voluntatem, aliasque potentias, quæ Deo pariter consecrantur, accurata legum observatione. Nemo itaque bonus, qui alterum ex hujusmodi officiis servat, alterum contemnit. Accedit, quod vel ipsa mysteria hominem ad veram pietatem permovent. Sic ex. gr. qui mysterium peccati originalis credit, & ortam ex eo naturæ infirmitatem sentit, ad Dei opem implorandam excitatur. Mysterium Incarnationis vehementem in nobis Dei amorem accendit. Idemque de ceteris dici potest; unde S. Augustinus Lib. V. de *Civit. Dei* cap. 10, inquebat: *male vivitur, si de Deo non bene creditur.*

Non satis est legem fervare, nisi etiam mysteria credantur.

XLVIII. Post hæc contendunt aliqui cum Bælio, mysteria hoc ipso, quod rationem humanam superant, etiam cum ratione humana pugnare; quod si esset, *Gazzan. Theol. polem.* P non

Bælius contendit mysteria cum ratione pugnare.

non possent in Religione contineri, quæ rationi minime repugnat. Ita autem ratiocinantur: esse supra rationem, nihil est aliud, quam non esse rationi consentaneum; sed quæ rationi consentanea non sunt, eidem repugnant; quemadmodum quod veritati consentaneum non est, veritati ipsi repugnat: si itaque mysteria &c. Id Bælius hoc exemplo illustrat. Cum turris quadrata a longe visa rotunda apparet, non solum non videtur quadrata, sed talis figuræ, quæ cum quadrata pugnat; & si quis mihi dicat, turrim esse quadratam, illud credam oportet, quod non solum non video, sed iis, quæ video, plane opponitur.

Ejus paralogismus detegitur.

XLIX. Hujus paralogismi vis tota sita est in æquivocatione, quæ facile tollitur, observando aliquod intercedere medium inter non esse consentaneum rationi, & rationi repugnare, hoc autem medium est, quando aliquid pertinet ad ordinem superiorem, qui nec rationi congruit, nec opponitur. Hoc modo mysteria rationi non congruunt, quia illius lumen longe superant; nec tamen opponuntur, quia ratio ea falsa esse judicare non potest. Aptam huic rei explicandæ similitudinem, affert Angelicus Lib. I. *contra Gentiles* cap.

cap. 3: si alicui idiotæ sublimiores quædam proponantur Philosophiæ veritates, hæ certe hebeti illius rationi consentaneæ non erunt, quia earum nexum cum primis, notisque principiis non videt; quis tamen dicet, easdem veritates cum illius idiotæ ratione pugnare? Idem profus est in Religionis mysteriis, quæ rationem nostram longe superant, non tamen eidem proprie opponuntur. Et sicut, concludit Angelicus, maximæ amentię esset idiota, qui falsa esse assereret, quæ a Philosophia proponuntur, quia ea capere non potest; ita & multo amplius nimię stultitię esset homo, si quæ divinitus revelantur, falsa esse suspicaretur, quia ratione investigari non possunt.

L. Exemplum vero turris &c., & quæcunque alia hujus generis a re nostra maxime distant. Turris enim a longe visa non solum non apparet nobis quadrata, ut re ipsa est, sed ex legibus Opticæ nobis videtur rotunda, quæ* figura cum quadrata pugnat. Mysteria autem, seposita revelatione, nobis nec vera, nec falsa apparent, posita autem revelatione ut vera creduntur, quia Deus ea manifestavit.

Bælii exemplum inceptum.

Et res ma-
gis declara-
tur.

LI. Et sane, ut aliquid proprie ratio-
ni repugnare dicatur, necesse est, duas
concurrere claras, distinctasque ideas
secum ipsis adversa fronte pugnantes. Id
autem impossibile est, ubi de mysteriis
agitur, quorum existentia nobis revelata
est, non autem essentia, aut connexio.
Res pene similiter se habet, ac si alicui
cæco diceretur, in parva tabula, & om-
nino plana ita domus, flumina, maria,
arbores, homines, belluas, aliaque picta
esse, ut non solum inter se distinguantur,
sed etiam longissime distare videantur;
annon cæcus ille ineptiret, si hoc impos-
sibile esse contenderet? Et si cæcus ex-
perimentum tactus contra afferret, qui
nec cavitates, nec prominentias in tabu-
la invenit, nec tantam ejusdem dimen-
sionem, quæ tot rerum genera capere
possit, nonne in promptu esset ipsi re-
spondere, aliam esse tactus, aliam visus
rationem? Ita potiori jure de mysteriis
loquendum est, quorum essentia non mi-
nus, quam pictura cæco nobis impervia
est. Id aliis rationibus confirmat S. Tho-
mas Lib. I. *contra Gentiles* cap. 7.

Error Ab-
batis de
Prades.

LII. COROLLARIUM. Ex hæcenus
dictis constat, quantum a vero aberrave-
rit Pradesius, dum inter alias propositio-
nes

nes a sacra Facultate Parisiensi an. 1751 merito proscriptas hanc docuit n. 3. *Ipsa vera Religio revelata nec est, nec esse potest alia et lege naturali magis evoluta* (s).

C A P U T IV.

De vera revelationis notis, præcipue autem de miraculis, & prophetiis.

LIII. **C**um in *P. Isag. Theol. dogm.* cap. V. tres divinæ revelationis characteres, scilicet sanctitas doctrinæ, miracula, & prophetiæ satis ex-

Quænam
sint divinæ
revelatio-
nis notæ?

P 3

po-

(s) Laudatus Auctor hanc propositionem ad sanum sensum pertrahere conatus est in sua *Apologia* edita Amstelodami 1753, dicens, solum de lege naturali se locutum fuisse, quam ceterum est revelationis ope esse magis evolutam. Sed hujusmodi explicatio visa est eruditissimis a sensu damnatæ Thesisi omnino aliena. Confer *Court-examen de la These de M. de Prades*, & opus D. Gourlin, cui titulus: *Observations importantes au sujet de la These de M. de Prades*. Ceterum nostra non interest in præsentiarum ea discutere, quæ contra singula Religionis Christianæ mysteria Lutherani, Calvinistæ, atque imprimis Sociniani objicere solent. Hi enim omnes non contendunt cum Naturalistis, nullam esse posse mysteriorum revelationem, sed potius quædam mysteria, quæ Catholicis credunt, non esse a Deo revelata evincere conantur.

positi sint, ne actum agamus, id unum nobis superest, ut hos characteres contra Naturalistas vindicemus, qui, ut omnem supernaturalem revelationem eliminent, hoc potissimum utuntur prætextu, quod nullæ sint notæ, quibus eam certissime dignoscamus. Examinabimus autem præcipue miracula, & prophetias, quæ notæ sunt non solum doctis, sed etiam idiotis facile cognoscibiles, & contra quas potissimum pugnare solent Naturalistæ. Primo itaque de miraculis.

Miraculi
definitio.

LIV. Miraculum est *opus, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ.*

Ex hac definitione patet imo, nonnisi Deum vera miracula patrare posse, quia solus Deus, quemadmodum ordinem naturæ constituit, ita præter eum agere potest: 2do opera illa, quæ superant vires totius naturæ, non tamen præter illius ordinem fiunt, miracula appellari non posse, ut est animarum creatio, quæ licet a solo Deo fiat, non fit tamen præter ordinem naturæ (t).

LV.

(t) Probari minime potest definitio miraculi tradita a Samuele Clarckio, quod sit *opus mirum ab aliquo ente intelligente, hominique superiore peractum contra ordinarium, constantem, & uniform-*

LV. Ben. Spinoza, ut superius Sect. I. §. XLV. vidimus, nonnisi nomen miraculi retinuit, contendens, esse *opus*, *cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus*, & omnia, quæ in SS. litteris miracula narrantur, infirmare conatus est. Ejus vestigia premunt Naturalistæ, sed, ut rem compendio agant, facta ipsa impudenter negant, hoc quasi principii loco statuentes: *miracula fieri non possunt: quidquid ergo miraculorum narratur, vel falsum est, vel impostura*; qua de re vi-

Increduli
miracula
omnia ex-
plodunt.

P 4 de-

formem causarum secundarum cursum; aut illa Jo. Lockii, cui miraculum est opus, quod spectatur a nobis quasi divinum, nostrisque viribus superius. Nimirum uterque miracula etiam ab Angelis, & Dæmonibus fieri posse indicat; quod si esset, miracula nullam haberent vim ad probandam supernæ revelationis veritatem. S. Thomas I. P. Quæst. 110. art. 4. ita ostendit, vera miracula nonnisi a Deo fieri posse: miraculum proprie dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ; sed non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis, quia sic, cum aliquis projicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc fit præter ordinem naturæ lapidis; ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ: hoc autem non potest facere, nisi Deus. Multo plura in hanc rem assert Angelicus Lib. III. contra Gentiles cap. 102.

debimus postea; nunc difficultates, quas contra miracula moveri solent, ad examen revocabimus. Ex quatuor autem capitibus eæ repetuntur; Imo quod miracula sint impossibilia; 2do quod ab operibus naturæ secerni nequeant; 3tio quod in confirmationem etiam falsitatis fieri possint; demum quod facile haud sit, vera miracula a dæmonum præstigiis distinguere.

Spinozæ argum. contra miracula.

LVI. Inde autem contendit Spinoza in *Tract. Theol. polit.* cap. 6, nullum fieri posse miraculum, quia nihil fieri potest contra naturæ leges, quæ nihil aliud sunt, quam decreta Dei tam immutabilia, quam Deus ipse; ut proinde tam impossibile sit, miracula fieri, quam impossibile est, Deum mutari.

Jam antea solutum a S. Thoma.

LVII. Hanc tamen difficultatem multo antea præviderat, & solverat S. Thomas I. P. Quæst. 105. art. 6. acute observans, dupliciter leges naturæ considerari posse, nempe prout a suprema causa, ipsa scilicet Dei voluntate dependent, & sic nihil fieri potest contra leges naturæ, quia nihil fieri potest contra Dei voluntatem: vel in se ipsis attento ordinario rerum cursu, & sic nihil prohibet, leges naturæ ab eo interrumpi, aut etiam im-

mu-

mutari, a quo primum conditæ sunt, & perpetuo conservantur. Neque ita agendo Deus facit contra suam voluntatem, aut eam mutat; ut enim iterum observat S. Thomas Quæst. VI. de *potentia* art. I. ad 6tum, Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab æterno prævidit, & voluit facere, quod in tempore facit: sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in æterna sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat. Sed in eo Spinoza erravit, quod Deum materiæ creatorem, & Dominum non admittens, omnes naturæ leges fatali, & ineluctabili necessitate a materia promanare credebat, quem errorem supra Sect. I, cap. 3. jam explosimus.

LVIII. Breviter etiam notandum est Discrimen
inter leges
naturæ mo-
rales, &
physicas. discrimen, quod inter leges naturæ morales, & leges ejusdem naturæ physicas intercedit. Primæ enim æternæ sunt, necessariæ, immutabiles, & a libera Dei voluntate minime pendentes (vid. supra Sect. II. §. 76,); contra autem leges physiciæ hujus universi libera Dei voluntate constitutæ sunt; unde eadem libera Dei voluntate possunt aliquando suspendi,

aut immutari (u). Hoc autem cum Deus facit, *opera mutat, consilia non mutat*, ut inquit S. Augustinus Lib. I. *Confess.*; unde etiam alibi Lib. VI. de *Gen. ad Litt.* idem S. Pater negabat miracula fieri *contra naturam*, quia Deo *hoc est natura, quod fecerit*; scilicet quia Deus non minus est auctor ordinarii cursus naturæ, quam ejusdem suspensionis, aut mutationis extraordinariæ.

An vera
miracula a
falsis dis-
cerni que-
ant?

LIX. Exploso Spinozæ errore, qui miracula impossibilia esse dicebat, aliis respondendum est, qui impossibile saltem esse contendunt, vera miracula cognoscere, quia nescimus, inquit, quousque naturæ vires se extendunt, nec omnes in-
su-

-
- (u) Reprehenditur Houttevillius, quod in suo opere, cui titulus: *La Religion chrétienne prouvée par les faits* Lib. I. ch. 6. ut hoc Spinozæ argumentum solveret, novam, falsamque miraculi notionem tradiderit, docens, miracula involvi tanquam effectus in systemate legum universalium. Absurdam hanc miraculi notionem quoque argumentis solide confutavit Boullier in Lib. inscripto: *Court examen de la Thèse de M. de Prades*. Ceterum miracula fieri posse, adeo evidens est, ut Rousseavius (nomen tantæ apud incredulos auctoritatis) *dans la 3me Lettre écrite de la montagne* non solum impium, & absurdum, sed plane stultum esse pronunciet id negare.

super naturæ leges nobis notæ sunt; potest etiam aliqua eorum causa esse superior, nobisque ignota; quibus omnibus efficitur, ut quæ miracula dicimus, naturales effectus esse possint. Quis scit, addunt alii, an ex variis entium combinationibus, quæ infinitæ sunt, effici possit, ut cæcus visum, surdus auditum, mutus loquelam, infirmus sanitatem, ac mortuus vitam acquirat?

LX. Sed quamvis determinari non possit, quousque naturæ vires se extendant, dubium tamen non est, iis solis non posse mortuos suscitari, aquas maris dividi, corpora cœlestia fisti &c.: quemadmodum licet determinari certo non possit, quantum ponderis vir robustus elevare queat, nemo tamen dubitabit, aut credet, eum posse turrim, aut montem attollere. Fingant etiam Naturalistæ in natura vires ignotas, quotquot volunt; fingant causas superiores, fingant demum combinationes varias, & infinitas, nemini tamen cordato ac prudenti viro persuadere poterunt, ab hujusmodi viribus, aut causis, aut combinationibus ea stupenda miracula oriri potuisse, quæ Deus ad confirmandam cœlestem revelationem sæpius pa-
tra-

Discerni
posse ostenditur.

travit, & de quibus inferius erit dicendi locus (x).

LXI.

- (x) Quamquam omnia miracula respectu Dei æqualia sunt, respectu tamen nostrum majora, vel minora videntur, prout plus, vel minus vires naturæ excedunt. Porro ut S. Thomas observat I. P. Quæst. 105. art. 8, miraculum excedere potest facultatem naturæ tripliciter, Imo, quantum ad substantiam facti, sicuti quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat; aut quod corpus humanum glorificetur, quæ omnia nullo modo natura facere potest: & ista tenent summum gradum in miraculis. 2do aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & similia; potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo, & potest præstare visum, sed non cæco; & hæc tenent secundum locum in miraculis. 3tio modo excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, & ordinem faciendi, sicut cum aliquis subito virtute divina a febre curatur, absque curatione, & consueto processu naturæ in talibus; & cum statim aer divina virtute in pluvias condensatur, absque naturalibus causis; sicut factum est ad preces Samuelis, & Eliæ; & hujusmodi tenent infimum locum in miraculis. Ad 3tiam hanc classem ea miracula revocari possunt, quæ, quamvis vires naturæ nec quantum ad substantiam, nec quantum ad modum excedant, ex circumstantiis tamen apparet, ea non nisi divina virtute contigisse. Sic sine miraculo absolute fieri potest, ut hominis loquentis dextera arefiat, pueri ab urso devorentur, copiosi capiantur pisces, & in ventre unius stater inventiatur; sed

LXI. Multo plura afferri solent ad probandum, miracula posse etiam a malis hominibus fieri in confirmationem falsitatis. Et imo ea Moysis verba Deuter. XIII. v. I. *si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester &c. - - - Prophetæ autem ille, aut fictor somniorum interficietur.* Ex hoc loco triumphat Rousseavius Tom. III. de l'Emile, & eo usque procedit, ut in nostra sententia Paganos excusandos esse dicat, qui Apostolos morte affecerunt, quia novam doctrinam miraculis,

An fieri possint ad confirmandum falsum?

&

sed cum legimus 3tio Regum XIII. manum Jeroboam Prophetæ mandante illico fuisse arefactam, aut 4to Regum II. Elisæo maledicente pueros ab uris devoratos, vel denique ad Christi imperium Matth. XVII. copiosos fuisse captos pisces, & in ventre unias staterem inventum, ex circumstantiis noscimus, hæc vera fuisse miracula: quæ tamen distingui debent a sic dictis *gratis*, quando nempe ple creditur, ope Sanctorum fuisse remediis efficaciam tributam.

& prædictionibus confirmatam prædicabant.

Negatur, &
explicatur
locus Deu-
teron.

LXII. Negari certe non potest, aliquam esse in vero sensu horum verborum determinando difficultatem; variant enim vel ipsi accuratiores interpretes. Quidam putant, id dictum esse in hypothese impossibili, quomodo S. Paulus ad Galat. I. 8. dicebat: *sed licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; neque enim contingere poterat, ut vel Apostolus ipse, vel angelus de caelo aliter evangelizarent. Quidam censent, id de iis dictum fuisse, qui antea veri Dei Prophetæ erant, post autem ab ipso recedentes miraculis antea a se factis ad alios seducendos abutebantur. Sed communior, & probabilior hujus loci interpretatio est de Pseudo-prophetis, qui non vera, nec virtute divina, sed falsa, & ope dæmonis, vel fraude, & impostura oracula edebant. Nec refert, quod hujusmodi oracula eventu nonnunquam comprobarentur; id enim vel casui fortuito, vel naturali prævisioni, non veræ, & divinitus inspiratæ prophetiæ tribuendum erat. Frustra autem hinc triumphat Rousseavius, quasi vero Christus Domi-
nus,

nus, ejusque Apostoli cœlestem doctrinam, quam annuntiabant, non comprobaverint stupendis, & certissimis miraculis, sed solum ambiguis prædictionibus, vanisque somniis. Hæc impij hominis paradoxa pluribus refutare, operis dispendium esset.

LXIII. Non tamen negamus, a malis Miracula a malis impetrari possunt. etiam hominibus, immo & ab hæreticis impetrari aliquando vera miracula posse, quod manifeste innuit Christus Dominus Matth. VII. 22; & S. Hieronymus exemplis illustrat Saul, Balaam, & Caiphæ, qui prophetaverunt. Sed S. Thomas opportune observat in *Quodlibeto* II. Quæst. 4. art. 6, posse quidem per malos homines, immo & per hæreticos miracula fieri, at non in confirmationem falsæ doctrinæ; *sic enim Deus esset falsitatis testis, quod est impossibile*; quod repetit etiam Lect. II. in cap. II. Epist. II. ad *Thessalon.* Et S. Augustinus in Lib. de *Quæstionibus* 83. Quæst. 79, *aliter*, inquit, *magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani: magi per privatos contractus, boni Christiani per publicam justitiam, mali Christiani per signa publicæ justitiæ.*

Sed non
pro falsita-
te testanda.

LXIV. Hinc patet, quid de nonnul-
lis miraculis dici possit, quæ apud Eth-
nicos facta fuisse, narratur; ut cum Tu-
scia Vestalis, Valerio Maximo referente
Lib. VIII, aquam ex Tiberi cribro hau-
sit, totoque inspectante populo ad forum
usque portavit; Claudia vero, altera
Vestalis, onerosissimam navim Tiberi
hærentem, & hominum, boumque co-
natibus resistentem, cingulo suo facillime
traxit. Hæc si vera sunt, possunt cum
S. Thoma Quæst. 6. *de potentia* art. 5.
ad 5. attribui Deo, *qui per angelos bo-
nos, non in superstitionis confirmatio-
nem, sed in testimonium castitatis hæc*
patravit. Quamquam S. Augustinus Lib.
X: *de Civit. Dei* cap. 16. dæmonum
virtuti ea prodigia adscribere non dubi-
tat, quorum certe vires non superat, vel
navem ponderosissimam trahere, vel aquam
in cribro sustentare, ne effluat.

Quid de
quibusdam
falsis mira-
culis in
Script. me-
moratis?

LXV. Hinc patet etiam, quid dicen-
dum sit de signis, quæ Magi Pharaonis
miracula Moyſis æmulantes ediderunt
Exod. VIII; quid de anima Samuelis a
Pythonissa Endoræa excitata I. Regum.
XXVIII; & quid de iis multo majoribus,
quæ futura sunt tempore Antichristi Matth.
XXIV. Nimirum certe tenendum est,
hæc

hæc omnia, aliaque similia ope dæmonis ad decipiendum facta, non vera miracula esse, sed *mirabilia*, quia excedunt quidem humanam facultatem, sed non diabolicam (y). Et quoniam hæc objectio ex SS. Litteris deprompta est, non erimus reprehendendi, si easdem SS. Litte-

te-

(y) Aliqui negant, hanc virtutem Diabolo esse tributam, ut Jo. Alphonsus Turretinus in *Dissert. de veritate Jud. & Christ. relig.* P. IV, ejusque discipulus Jac. Serces in Lib., cui titulus: *Traité des miracles &c.* Amstelod. 1729. in 8vo, in cujus tamen præfatione venerandæ antiquitati, illustrioribus Theologis, Philosophis maximi nominis, immo omnibus planè Ecclesiæ Patribus se bellum indicere incredibili audacia profitetur. Utrumque præcesserant Verensfeldius Tom. I *Operum*, & Nolstenius in *Dissert. impressa 1718.* Francofurti ad Oderam. Quanto cautius, & modestius de dæmonibus locutus est magnus Augustinus, qui Lib. III. *de Trinit.* cap. 9. *quid autem, inquit, possint per naturam, nec possint per prohibitionem, & quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, immo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat, dicens: alii dijudicatio spirituum.* Taceo de novis quibusdam nostri ævi falsis sapientibus, qui non solum dæmonum potentiam, sed dæmones ipsos de medio tollere nituntur, contra quos videri potest parvus libellus inscriptus: *Teufelreyen des achtzehnten Jahrhunderts.*

teras in hujusmodi falsis miraculis detegendis in adiutorium vocemus.

Magorum
signa non
fuerunt ve-
ra miracula.

LXVI. Quantum igitur attinet ad signa, & arcana, quæ Magi coram Pharaone ediderunt, ea infinito intervallo a veris Moyfis miraculis distare facile intelliget, qui legerit, vel ipsos Magos tandem & propriam infirmitatem, & Dei omnipotentiam Moyfi assistentem agnoscere coactos fuisse, & dicere: *Digitus Dei est hic*: Exodi VIII. 19. Multi opinati sunt, ea Magorum signa non fuisse, nisi meras præstigias, sed S. Thomas I. P. Quæst. CXIV. art. 4. post S. Augustinum Lib. XX. de *Civit. Dei* cap. XIX. censet, fuisse veras res virtute dæmonis peractas.

Quid de suscitacione
Samuelis?

LXVII. De anima Samuelis a Pythonissa suscitata non una est tam veterum, quam recentiorum opinio. Sunt, qui putent, id merum fuisse dæmonis spectrum; quod si verum est, objectio se ipsa concidit. Plerique tamen Samuelem ab inferis vere revocatum statuunt, quod insinuari videtur *Ecclesiastici XLVI. 23.* Sed hi etiam docent, hoc prodigium non Pythonissæ incantationibus, sed Dei virtuti tribuendum, qui ea occasione Sauli

ma-

manifestare voluit, quanta illi ob inobedientiam mala imminerent (z).

LXVIII. Res etiam videtur apertior Et quid de Antichristi prodigiis ? de Antichristo; quem, inquit Apostolus Paulus II. Thessal. II. 9. venturum esse *secundum operationem Satanae in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus*; hoc est, ut ex S. Augustino Estius explicat, vel quia fallaciter, & illusorie, non autem vere ea prodigia fient, vel quia aliqua mirabilia, non autem vera miracula ad mendacium patrabit, id est, ad homines in errorem inducendos.

Q 2

LXIX.

(z) S. Augustinus Lib. II. ad Simplicianum Quæst. 3. *ex dispensatione divina, inquit, permixtum est, ut non invitatus, nec dominante magica arte, sed volens, & obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ, & Pythonissam, & Saulem latebat, consentiret Spiritus Prophetæ, se ostendi aspectibus Regis divina eum sententia percussurus.* De hac materia præter Auctores memoratos a Leone Allatio in syntagmate de *Engastrimytho* cap. 22., legi possunt Nat. Alexander in *Hist. Eccles. V. T. Dissert. XXIII*, P. Calmet in *Dissert. de Samuele per visum Sauli objecto*, P. Le Brun *Hist. des superstitions* Tom. IV, Lenglet *Traité des visions, & des apparitions* Tom. II, Aegidius Stauchius in *Samuele personato*, & Jo. Christoph. AreMBERGIUS de *Pythonissa Endoræ* in *Thesauro novo Theol. Philolog.*, apud quem nonnullos alios Auctores de Protestantium cœta invenies, qui hoc argumentum illustrarent.

Quid de
miraculis
Novatiano-
rum?

LXIX. Aliqua demum vera miracula in falsæ Religionis testimonium facta nonnunquam fuisse, erui videtur ex Socrate, qui Lib. VII. *Hist. Eccles.* cap. 39. refert, cum tota urbs Constantinopolis immani incendio conflagraret, Novatianorum Ecclesiam illæsam fuisse servatam precibus Pauli ipsorum Episcopi, quamvis ignis per januam & fenestras violenter intraret, cujus miraculi anniversariam memoriam fuisse a Novatianis celebratam idem Socrates testatur. Immo cap. 17. aliud ejusdem Pauli miraculum refert: nempe cum Judæus quidam ficto animo baptismum peteret, aquam in lavacrum semel ac iterum immissam subito evanuisse, atque hoc prodigio fraudem Judæi detectam.

Vel falsa
sunt, vel
non in con-
firm. hære-
sis facta.

LXX. Observandum est tamen *IMO* Socratis fidem, ubi de Novatianis agit, merito esse suspectam; fuit enim eorum Sectæ propensior, aut plane adscriptus. Deinde si hæc vera sunt, & non potius aut conficta, aut saltem minus sincere exposita, nihil prohibet, quin dicamus, ea miracula non fuisse a Deo facta in testimonium doctrinæ Novatianorum, quam constabat esse falsam, & ab Ecclesia damnatam, sed potius ad demonstrandam sanctitatem Ecclesiæ, & Baptismi, in quibus

bus Novatiani cum Catholicis conveniebant (a).

LXXI. Solet hic quoque objici Tertulliani auctoritas, qui pro certo habuisse videtur, etiam falsas hæreticorum doctrinas posse miraculis confirmari; ita enim habet in Libro de *Præscriptionibus Hæreticorum* cap. 44.: *adjicient præterea multa de auctoritate cujusque doctoris hæretici, illos maxime doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, ut merito Apostoli crederentur.* Si tamen totus attendatur contextus, facile apparebit, Tertullianum nonnisi falsa miracula Hæreticis concedere;

Explicatur
locus Ter-
tulliani.

Q 3

re;

-
- (a) Hujusmodi argumentis abutebatur Calvinus in eloquenti sua, sed falsitatum plena Præfat. ad *Regem Gallia*, ubi provocatus ad miracula, quæ edere non poterat, contendebat, par esse priori loco examinari, explorarique doctrinam, quæ si probata fuerit, tum demum a miraculis jure confirmationem sumere debere. Addebat etiam, meminisse nos decere, suæ esse Satanae miracula, magos, & incantatores miraculis semper claruisse, idololatriam etiam stupenda miracula aluisse, atque hoc olim arte vulgi simplicitatem concussisse Donatistas, quod miraculis polierent; ac demum Paulum admonuisse, Antichristi regnum futurum cum omni potentia, & signis, & prodigiis mendacibus. Præclare ille pro sua causa, quam veris miraculis defendi non posse animadvertibat.

re; subdit enim: *quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam munientiam corruptæ prædicationis, digitum scilicet intendens ad Christi verba Matth. XXIV. 24. surgent pseudo-christi, & pseudo prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia &c.*

Et S. Augustinus.

LXXII. Eodemque fere modo explicatur S. Augustinus, qui Tract. XIII. in Joannem n. 3. nemo, inquit, vobis fabulas vendat: & Pontius fecit miraculum, & Donatus oravit, & respondit ei Deus de cælo: Imò aut falluntur, aut fallunt; postremo fac illum montes transferre: videamus, utrum habuerit caritatem: crederem, si non divisisset unitatem. Nam & contra ipsos, ut sic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus dicens Marc. XIII. 22: „ in „ novissimis temporibus exurgent Pseudo- „ prophetæ, facientes signa, & prodigia, ut in errorem inducant, si fieri „ potest, etiam electos: ecce prædixi „ vobis. „ Ergo cautos nos fecit sponsus, quia & miraculis decipi nos debemus. Nempe imò S. Doctor miracula Donatistarum ut falsa rejicit; unde etiam eos mirabiliarios appellat, eorumque

prodigia comparat prodigiis utique falsis Pseudo-prophetarum. Deinde ne disputationis funem longius trahat, Donatistas ea potissimum de causa reprehendit, quia rupto caritatis vinculo se ab ea Ecclesia separarunt, quæ longe pluribus, majoribus, ac certissimis miraculis illustrata, & confirmata fuit.

LXXIII. Sed ita fit, inquit Naturalistæ, nonnisi falsa prodigia edantur in confirmationem erroris, vel hoc ipsum sufficit, ut colligamus, miracula non esse divinæ revelationis notas; cum enim difficile admodum sit, immo quibusdam plane impossibile, vera miracula a falsis discernere, nihil tutius erit ad vitandum errorem, quam nullis miraculis credere. Ita Rousseavius in 3tio Tom. *de l'Emile*, & in 3tia epist., ubi varia mirabilia exponit, quæ ope Chymicæ, electricitatis, vis magneticæ, artis medicæ, & imposturis circulatorum fieri videmus, ut inde concludat, vel nulla esse miracula, vel saltem a nobis cognosci non posse.

Naturalistarum ob-
jectio.

LXXIV. Ut hæc difficultas certe non contemnenda penitus solvatur, imo observandum est, nonnullas esse notas, quibus vera miracula a falsis, & apparentibus discernantur. Hæ sunt præcipue operis

Solvitur.

ris constantia & duratio, operantis probitas, finis rectus & sanctus, doctrina non absurda (si enim absurdam aliquam doctrinam prodigiis confirmari videremus, merito de prodigiorum veritate dubitandum esset). 2do quoniam nec semper, nec omnibus datum est, hos veri miraculi characteres sine ulla dubitatione cognoscere, firmissime tenemus, Deum nunquam permitturum, aliqua mirabilia, vel falsa prodigia ad confirmandum errorem fieri, quin ipse multo plura, majora, & certiora miracula edat pro veritate patefacienda, ut possint fideles errore declinato rectum cursum tenere. Id, præterquam quod est divinæ sapientiæ, bonitati, ac providentiæ omnino consentaneum, potest etiam pluribus exemplis luculenter confirmari. Permisit Deus Magis Pharaonis thaumaturgam Mosis virtutem æmulari, sed effecit postea, ut tandem cognoscerent in Mose digitum Dei. Toleravit Deus aliquamdiu 450. Pseudo-prophetas sacerdotes Baal, ne tamen populus quasi necessario in errorem pertraheretur, eosdem ab Elia in miraculis palam superari, confundi, ac trucidari voluit. Pseudo-propheta Elymas a S. Paulo devictus, & excecatus, & Simon

mon Magus a S. Petro pariter debellatus est. Et ut reliqua taceam, quando Antichristi temporibus majora fient falsa prodigia, non deerunt Enoch, & Elias, qui & prædicatione, & miraculis potentioribus errori resistent; & quia persecutio, & tribulatio illa erit omnium maxima, Deus fideles suos præmunivit, prænuntiata multo antea illorum prodigiorum falsitate Marc. XIII, 23 (b).

Q 5 LXXV.

- (b) Notatu digna est doctrina S. Thomæ in Lib. II. *sentent. distin&. VII. Quæst. 3. art. 1. ad 2*, ubi huic difficultati ita respondet: *Signa facta per bonos possunt distingui ab illis, quæ per malos fiunt, tripliciter ad minus: Imo ex efficacia virtutis operantis, quia signa facta per bonos virtute divina fiunt in illis etiam, ad quæ virtus activa naturæ se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos, & hujusmodi, quæ Dæmones secundum veritatem facere non possunt, sed in præstigiis tantum, quæ diu durare non possunt. 2do ex utilitate signorum, quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum, & hujusmodi, signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis, vel vanis - - 3tia differentia est, quantum ad finem, quia signa bonorum ordinantur ad ædificationem fidei, & bonorum morum, sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei, & honestatis: & quantum ad modum differunt, quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis pie, & reverenter, sed mali quibusdam deliramentis &c. Vid. etiam S. Augustinus Lib. X. de *Ci-rit*, Dei cap. XVI,*

Alia diffi-
cultas eno-
datur,

LXXV. Neque vero quis reponat cum Lâur. Mosheimio in Not. ad *System. intell.* Cudworthi cap. 5. Sect. I. §. 87, hoc ipsum esse rudibus admodum difficile, comparatione instituta, quænam miracula majora sint, dijudicare. Id quippe verum esset, si de uno, vel paucis miraculis non admodum dissimilibus dijudicandis ageretur; sed cum vera nostræ Religionis miracula iis prodigiis comparantur, quæ vel ab Ethnicis, vel ab Hæreticis patrata dicuntur, tale, ac tantum est sive in certitudine historicâ, sive in rerum magnitudine discrimen, ut in oculos etiam rudium facile incurrat. Prodigia Ethnicorum neque ab auctoribus cœvis narrantur, & ab iis etiam contemnebantur, qui oculatiores, & prudentiores inter ipsos erant, qua de re inferius dicetur Sect. IV. Et præterea quisnam eorum mare divisit, & undas hinc inde quasi muros consolidavit? Quis manna de cœlo quadraginta annis pluere fecit? Quis solem immobilem reddidit? Quis mortuos suscitavit? Quis demum post infinita miracula edita redivivus apparuit, & in cœlum est elevatus? Sed de his uberius capp. sequ.

LXXVI. At vero molestius sciscitantur adversarii, cur Deus permittat, prodigia veris similia in confirmationem erroris patrari, quibus sin minus omnino tollitur, obicuratur saltem veræ & revelatæ doctrinæ dignoscendæ nota? Resp. nostrum non esse profunditatem divinorum consiliorum perscrutari. Tantum lucis nobis impertitur, ut qui debita uti vestit diligentia, viam veritatis invenire possit; aliquam tamen semper voluit remanere obscuritatem, unde electi occasionem se humiliandi, reprobi autem se propria culpa perdendi desumunt (vid. XVIII. cogitatio Pascalis *de Religione*). Ceterum hæc lucis, & tenebrarum commixtio in rebus etiam naturalibus apparet, quarum fere semper duplex est facies, altera lucida, & perspicua, ut veritatem quasi manibus contrectare videamur, altera obscura, ut difficultates omnes nullus valeat expedire. Sic in Religione voluit Deus, nos inter lucem, & tenebras ambulare, ita tamen, ut quilibet possit divina ope viam veritatis videre.

Cur Deus prodigia falsa veris similia fieri permittat?

LXXVII. Vix refutari meretur alia cujusdam Deistæ (c) objectio, qui mira-

Paralogismus Chubb exploditur.

cu-

(c) Ita Chubb Anglus. auctor Libri, cui titulus:

Nov-

culis Dei potentiam, non autem veracitatem ostendi hoc paralogismo evincere conatur. Aut Religio dogmata nobis proponit rebus convenientia, & tunc sine miraculis ratio sufficit: aut dogmata ab arbitrio divinæ voluntatis pendentia: & tunc miracula sunt inutilia, quia voluntatis divinæ liberæ nulla est alia ratio, quam ipsius arbitrium. Ex hactenus dictis enim abunde liquet, miracula esse necessaria ad veritatem divinæ revelationis ostendendam tam in rebus, quæ humanæ rationis captum non superant, quam in mysteriis, aliisque dogmatibus, quæ ratione sola investigari non possunt. Inprimis, ut omnes evitentur errores, & omnia dubia tollantur, a quibus humana ratio sibi soli relicta, aut vix, aut nullatenus eximi potest. In aliis, ut quæ sit voluntas Dei in vero Religionis cultu, certo agnoscamus. Satis multa de miraculis (d); nunc pau-

Nouveaux essais sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme, & l'origine du mal, ubi miraculosa quædam leges præscribere ausus est, quibus quid Deum facere deceat, aut non deceat, cognoscamus.

- (d) De quibus videri potest Differt. P. Calmet *de veris, ac falsis prodigiis*; tum liber Prudentii Maran, cui titulus: *La doctrine de l'écriture, & des*

pauca de prophetiis, de quibus ea recollenda sunt, quæ in *P. Isag. Theol. dogm.* cap. 5. §. 36, & seq. diximus.

LXXVIII. Prophetia vox græca est, ἀπὸ τὸ προφαίνεν, ut vult Eusebius Lib. V. *Demonstr. Evangel.*, a Latinis autem dicitur *vaticinium*. Porro ad veri nominis prophetiam id maxime spectat, ut res prædicta nullo ingenii acumine, nulla conjectura, aut naturali virtute cognosci potuerit, ut cum ea prædicuntur, quæ a solo Deo fieri possunt, atque a libera ipsius voluntate pendent. Sic Noe prædixit diluvium universale, & Angelus conflagrationem Sodomæ, & Gomorrhæ. Eiusdem generis sunt prædictiones earum rerum, quæ ab hominum arbitrio suspenduntur, & quarum nulla esse potest conjectura; ut cum Isaias XLIV. 28. ante

Quid sit
prophetia,
& quis ejus
usus?

200.

des Peres sur les guérisons miraculeuses Paris 1754. in 12mo, & quæ occasione hujus libri opera prodierunt, nimirum: *Traité des miracles* &c. Paris 1763. vol. 2. in 12mo, & *Lettres à l'Auteur du Traité des miracles* en France 1767. in 12mo; in quibus tamen operibus nescio, an miraculorum doctrina magis illustrata, an vero disputationis æstu aliquatenus obscurata fuerit. Satius fortasse erit, D. Thomam consulere, & qui ejus vestigia secutus est *Benedictum XIV. de Servorum Dei beatificat.* & *Beatorum canonizat.* Lib. IV. P. I.

200. & amplius annos & nomen *Cyri* prædixit, & beneficia ab eo Israelitis impertienda (e). Hinc patet, prophetiam proprie in miraculis esse recensendam; ab iis tamen eatenus distinguitur, quod miraculorum eventus illico videatur, prophetiæ autem eventus nonnisi post aliquod, immo aliquando post longum temporis intervallum expectandus sit. Sed in hoc apparet sapientissimi Dei providentia, dum non solum miracula, sed etiam prophetias voluit esse cœlestis suæ revelationis notas; ut eam & præsentem in miraculis agnoscerent, & posterius in vaticiniorum veritate confirmatam viderent.

Cavillatio
Roussévii
refellitur.

LXXIX. Ex quo tamen vaticiniorum veritas tardius appareat, male Roussévius

(e) Spinoza, sicuti Sect. I. §. 45. vidimus, ex sistematice connexionem ut miracula, ita etiam prophetias commentitiis fabulis accenset, & nonnisi nomine tenus admittit. Hunc magistrum Deistæ omnes sequuntur, quorum longum texere possemus catalogum. Unus ex primis fuit Ant. Collins, qui in libro anonymo an. 1724. sub hoc titulo: *Discours sur les fondemens, & les raisons de la Religion chrétienne* omnes prophetias in sensu typico, mystico, allegorico, atque ænigmatico intelligendas esse contendit, ut proinde nihil solide ex iis colligi possit.

vius Tom. III. *de l'Emile* ea explodendi ansam desumit, contendens, tria concurrere oportere, ut ex prophetiis certum eliciatur argumentum, quæ tamen concurrere simul non possunt; scilicet 1mo nos ipsos testes esse prophetiæ debere, quando profertur; 2do etiam testes esse debere eventus, quando prophetia adimpletur; ac 3tio certo nobis constare, eventum non potuisse fortuito casu cum prophetia conjungi. Male inquam ratio- cinatur Rousseavius; nam 1mo hæc tria concurrere aliquando possunt; ut quando Apostoli a Christo sibi prædici ejus resurrectionem audiverunt, eamque postea completam propriis oculis viderunt, & certe non casu, aut naturali virtute, ut res per se loquitur. 2do necesse non est, ut qui prophetias adimpletas vident, eas etiam propriis auribus audiverint; sed sufficit, si de earum existentia certi sint; ut certi nos sumus de existentia prophetiarum, quæ tam in veteri, quam in novo testamento reperiuntur; & ita quidem certi, ut qui id in dubium revocare velit, totam historiæ certitudinem evertere debeat. Concedimus tamen Rousseavio, tales debere esse prophetias, ut earum eventus nec prævideri naturali sagacitate po-

potuerit, nec casu fortuito cum prophetia conjungi. Concedimus etiam, prophetias perspicuas esse debere, quantum res ipsa patitur, easque litteraliter adimpleri, saltem ut ex iis firmissimum contra incredulos argumentum deducatur. Nostrum autem erit, id in Religione revelata demonstrare.

Item alia
Voltairii.

LXXX. Multo autem ineptius more suo ita cavillatur Voltairius in *Philos. hist.* cap. 31. Quod nondum est, nihil est; sed nihil nec prævideri, nec prædici potest: nulla ergo sunt futurorum vaticinia. Imo enim non vidit Voltairius, hoc sophismate etiam evinci, non posse cognosci præterita, quia non amplius sunt. Deinde quæ prædicuntur futura, sunt etiam suo modo, scilicet in suis causis, potissimum vero in divinæ voluntatis decretis. Sed annon otio, & litteris abutuntur acuti isti Philosophi, dum miracula, & vaticinia *ἀδύνατα* esse probare nituntur, quæ tamen extitisse, nisi omni historica fide sublata, inficiari non possunt?

Alte div.
revel. notæ
breviter in-
dicantur.

LXXXI. Atque hi duo sunt præcipui divinæ revelationis characteres; quorum vis etiam major efficitur, si demonstratur, eos perpetua successione in ejusdem di-

divinæ revelationis confirmationem esse conservatos, ac sæpius repetitos. Aliæ tamen sunt notæ minime prætereundæ; nempe 1mo sanctitas doctrinæ, quæ *revelata* dicitur; 2do probitas eorum, qui hanc doctrinam evulgarunt; 3tio quod nullum alium finem habuerint, quam gloriam Dei, populorumque salutem; 4to quod pro eadem doctrina divulganda, & defendenda nec laboribus pepercerint, nec contumeliis, aut ullis suppliciis cesserint, nec demum dubitaverint, eandem proprio sanguine confirmare; 5to quod hæc doctrina mirabiliter fuerit propagata, ita tamen, ut hanc propagationem non armis, non humanis illicitis, aut aliquo naturali modo, sed divina virtute factam esse constet; ac demum quod hæc doctrina non æternæ solum, sed etiam temporali hominum felicitati (quoad fieri in hoc mundo potest) plurimum conferat. Atque omnibus his modis existere Religionem a Deo revelatam, eamque unam esse, quam nos profiteamur, modo contra Naturalistas, in sequenti autem sectione contra infideles luculenter Deo adjuvante ostendemus.

CAPUT V.

De existentia divinæ revelationis in veteri Testamento.

Revelatio
primum A-
damo facta,

LXXXII. **S**i credunt Naturalistæ, hominem primo fuisse a Deo creatum, & si verum est, eum utpote ratione, & libertate præditum, ad Deum Auctorem suum externo non minus, quam interno cultu adorandum, & glorificandum teneri, quod supra ostendimus, consequenter, ac sponte sua fuit, hunc primum hominem fuisse illico edoctum de omnibus officiis, quæ & Deo, & sibi, & aliis propter ipsum Deum debet. Hæc prima revelatio facta Adamo a patribus in filios orali traditione derivata fuit; sed hominum vitio, ac dæmonis artibus sensim, ac sensim pluribus erroribus contaminata, & ita quidem, ut Deus misericordiarum dignatus tandem fuerit, eam post bis mille annos renovare, & puram ab omni nævo in tabulis lapideis scriptam Moyfi tradere; donec mitteret in plenitudine temporum filium suum unigenitum, qui Religionem antiquis patribus jam revelatam, novo instituto fœdere multo clarius, atque apertius manifestaret.

LXXXIII.

LXXXIII. Hic autem non loquemur de prima revelatione facta Adamo, sed solum de ejusdem renovatione Moyfi manifestata; tum quia hæc secunda illam primam continet; tum etiam quia hæc extraordinariis signis, & portentis, ut opus tunc erat, ita confirmata fuit, ut Moyfes nec decipi, nec decipere potuerit, & qui omnino pertinaces non sunt, eam nequeant repudiare. Reipsa Moyfes, cum Deus illi apparuit Exodi III, & IV, eumque ducem populi Israelitici constituit, non prius credidit, sibi Dominum loqui, quam Deus duplici miraculo id confirmaverit. Rursus non prius demandatam sibi provinciam loquendi populo nomine Dei assumpsit, quam sibi esset a Deo ipso promissum, eandem multis, magnisque prodigiis fore confirmandam. Hæc autem prodigia in Ægypto, in mari rubro, atque in desertis Arabiæ fuisse patrata, multa insuper, & verissima a Moyse edita vaticinia, luculenter fuit a nobis demonstratum in *P. Isagog. Theol. dogm.* cap. VIII. §. 64. & seq. Iis igitur omissis, quæ ibi legi possunt, solvendis duntaxat quibusdam difficultatibus, quas nuperi Deistæ, Voltairius præcipue, magno studio collegerunt, operam dabi-

Deinde
Moyfi re-
novata.

mus. Si enim istos audiamus, aut Moy-
ses fictitia persona est, quæ nunquam
fuit, aut si fuit, fraudibus, dolis, &
magicis artibus Hebræos decepit; ita
enim miracula ab ipso patrata appellant
(f).

Moysem
exstitisse
certum est.

LXXXIV. Tempus terere aliquibus
videbimur, dum exstitisse Moysem cele-
bratissimum prophetam, thaumaturgum,
& legislatorem demonstrare aggredimur;
sed id nos facere cogit inaudita superiori-
bus ævis nostrorum pseudo-criticorum pe-
tulantia, qui universalem non Hebræo-

RUM

(f) Voltairius in *Phil. Hist.* cap. 40, & in *Didion. Philof.* celeberrimum Judæorum nomothetam Moysem re ipsa exstitisse, aut omnino negat, aut saltem in dubium revocare conatur. Dubium adeo ab ædulo approbatores invenit, & non defuerunt, qui ex nota jam Bacchi fabula fictitiam Moyfis personam ortam esse sibi, & aliis persuadere voluerint. Sic autem habet fabula Bacchi, prout ex eruditissimo Huetio Propos. IV. *Demonstr. Evangel.* eam Voltairius collegit, ipsum in Ægypto natum, atque in arca inclusum in profluentem abjectum, sed inde extractum fuisse in Arabia educatum, ipsius virgam in serpentem mutatam, fugientem ab Ægyptiis mare rubrum pedibus trajecisse, trajecisse item fluvios Hydaspem, & Orontem thyrso arefactos, leges tulisse duplici tabula inscriptas, ac denique *Misim* fuisse appellatum, quod nomen non admodum distat a *Moyse*.

rum tantummodo, sed plane omnium gentium traditionem nauci faciunt. Nihil enim umquam fuit apud aliquos populos magis constanter creditum, quam fuerit Judæis, omnibusque Christianis persuasum, extitisse Moysen, cujus parentes, immo & majores noti sunt, ac vita tota descripta. Plurima etiam Ægyptiorum, Græcorum, aliorumque veterum de Moysese testimonia nobis exhibent Flavius Josephus in duobus libris *contra Apionem*, præcipue Lib. I, ubi Manethonis, Chæremonis, & Lysimachi de Moysese mendacia refellit, Clemens Alexandrinus Lib. I. *Stromatum*, Eusebius in *Libris de Preparat. Evang.*, alique; ut nulla plane res historica majori testium numero confirmata inveniatur (g).

R 3 LXXXV.

(g) Ut alia omittam, satis est ea legere, quæ S. Justinus habet in *Protreptico* n. 9. ubi ex græcis historiis ostendit, omnibus sapientibus, Poetis, Historicis, Philosophis, & Legislatoribus multo antiquiorem fuisse Moysen, quæ in re testimonia affert Polemonis, Apionis Possidonii, Ptolomæi Mendesii, qui res Ægyptias scripsit, Hellanici, & Philochori, qui Atheniensium gesta memoriæ mandarunt, Castoris, & Thalli, & Alexandri Poly-historis, ac demum Diodori, qui bibliothecas in compendium redegit, & in I. Libro Moysen appellat & *animi magnitudine, & utilitatibus vite hominum allatis celeberrimum.*

Obiectio ex
similitudi-
ne Moyſis,
& Bacchi.

LXXXV. Sed breviter videamus, quid tandem proferant novi isti pseudo-critici ad vetustissimam hanc, universalem, & constantem traditionem evertendam. Primum, ac potissimum eorum argumentum est similitudo Moyſis, & Bacchi, unde inferunt, quod de Moyſe habet Hebræorum historia, a Bacchi fabula fuisse deſumptum; tum quia Bacchus est Moyſe antiquior; tum etiam quia minime probabile est, fabulam Bacchi a Moyſis historia fuisse ortam, cum Hebræorum libri non fuerint gentibus noti, antequam Ptolomæus eos in græcam linguam verti curasset.

Solvitur.
Moyſes est
a Baccho
diverſus &
illo anti-
quior.

LXXXVI. Quam vero hæc conjectura infirma sit, facile quisque judicabit; imo enim certum plane videtur, Moyſem fuisse Baccho longe antiquiorem, quod Clemens Alexandrinus ostendit Lib. I. *Stromatum*. 2do ut historia Moyſis gentibus innotesceret, non erat necessaria illa librorum versio, quæ sub Ptolomæo facta est; ex solo enim commercio cum Hebræis potuerunt Gentiles multa de eorum legibus, atque historiis audire. Reipsa de rebus Hebræorum non pauca inveniuntur apud Manethonem, Hecataem Abderitam, aliosque, qui ante Ptolomæum floruerunt. 3tio nec omni-
no

no liquet, undenam hæc Bacchi fabula desumpta sit, cujus nullum vestigium apparet neque apud Diodorum Siculum, neque apud Plutarchum, neque apud alios veteres, qui res ad Bacchum pertinentes accuratius descripserunt. Eam quidem refert Huetius, nullos tamen alios illius testes appellat, quam antiquum hymnum in *Misem*, & vetus epigramma *Anthologiae* Lib. I. cap. 38; sed re diligentius examinata neque in illo *hymno*, neque in *Anthologia* hæc fabulæ de Baccho narrantur; & notus eruditis est Huetii entusiasmus, quo Moysem non in Baccho solum, sed in Hercule, in Mercurio, in Jove, aliisque omnibus gentilium Numinibus significatum esse somniavit (h).

LXXXVII. Instat Auctor *Phil. Hist.* Moysis ætas incerta est; nomen Pharaonis, coram quo Moyse miracula patrasse dicitur, antiquis ignotum, & multo magis ignota miracula ipsa, quorum nulla apud Ægyptios, vel Græcos mentio:

Objectiones Voltairii.

R 4

cer-

(h) Voltairium plagii, & ignorantia in hac Bacchi fabula ut in pluribus aliis, jure redarguit Auctor *du supplément a la Philosophie de l'Histoire de feu M. l'Abbé Baxin* p. 316, & sequ. Videri etiam potest M. l'Abbé François *Observations sur la Philosophie de l'Histoire* ch. 28.

certe Herodotus, qui a sacerdotibus Ægyptiis mirabilia multa edoctus fuit, nihil de Moyse audivisse videtur, cum de eo nihil omnino dicat. Et quod plus est, nec mentio ulla occurrit ejus regionis, quam Moyſes cum populo Iſraelitico peragraſſe dicitur. Demum quis ſibi perſuadeat, Moyſem terdecies centenis hominum millibus potuiſſe in deſerto 40. annorum ſpatio omnia ad vivendum neceſſaria ſubminiſtrare?

Solvitur
prima de
Moyſis æ-
tate.

LXXXVIII. Nihil tamen facilius, quam has objectiones refellere; & Imo quidem, ſi Hebræorum libros conſulamus, Moyſis ætatem minime ignorabimus; mirum autem non erit, ſi nihil certi de ea definire poſſimus attentis ſolis monumentis exoticis; eruditos enim non latet, quanta ſit apud profanos auctores in rebus historicis, & præcipue in chronologia ante bellum Trojanum obſcuritas & confuſio. Flavius Joſephus Lib. I. *contra Apionem* n. 8. ab initio mundi uſque ad interitum Moyſis tria fere annorum millia numerat, & doctiſſimus Petavius *de doctrina temporum* Moyſis nativitatem figit an. mundi 2373, & ante Chriſtum 1611; noſtra tamen parum intereſt, hanc epocham, aut aliam nativitatis Moſaicæ de-

determinare; neque enim si incertum est, quo tempore vixit Moyses, etiam incertum erit, eum exstitisse.

LXXXIX. Neque *Pharaonis* nomen fuit omnino exoticis scriptoribus ignotum, cum illum expresse memoret Alexander Polyhistor; Artapanus autem cum aliqua levi variatione illum appellet *Pharathonem* apud Eusebium Lib. IX. *Preparat. Evang.* cap. 8. Sed ulterius eruditos minime latet, Pharaonis nomen fuisse commune pluribus Ægyptiorum Regibus, quemadmodum post Ptolomæum Lagum multi eorundem Ægyptiorum Reges dicti sunt Ptolomæi, & quemadmodum Imperatores Romani post Julium Cæsarem, & Augustum communiter vocabantur Cæsares, & Augusti. Fieri itaque potest, ut qui Pharaon a Moysse nominatur, a scriptoribus profanis alio nomine designatus sit.

Et secunda de Pharaone.

XC. Mirum porro videri non debet, si apud gentiles Historicos prodigiorum Moysis nulla inveniatur mentio; cum enim illi Religionem Mosaicam ut falsam averfarentur, debebant etiam miracula in ejus confirmationem patrata ut supposititia rejicere, aut magicis artibus adscribere. Ceterum non omnes, nec omnino de iis

Et tertia de Moysis prodigijs.

filuisse colligitur ex Clemente Alexandri-
no Lib. I. *Stromatum*, & ex Eusebio
Lib. IX. *Præparat. Evang.* cap. 27.
Magorum etiam Pharaonis, Jannis &
Mambris, quos Moyfes in signis, & pro-
digiis superavit, meminit Numenius Phi-
losophus Pythagoreus. Plinius Lib. XXX.
Hist. nat. cap. 1, & Apulejus *Apologet.*
II. virtutem thaumaturgam Moyfis notam
fuisse gentibus insinuant, eum pro insigni
mago habitum fuisse testantes.

Ac quarta
de itinere
per deser-
tum.

XCI. Ineptit porro Voltairius, dum
addit, nullum esse apud veteres vestigium
illius regionis, quam Moyfes cum popu-
lo peragrassè dicitur; cum antiquissimos
habeamus testes, Manethonem, Lyfima-
chum, Chæremonem, aliosque, qui apud
Josephum in Lib. I. *contra Apionem*
Hebræos Ægypto relicta in desertum du-
ce Moyse abivisse memorant. Immo
adhuc monumenta quædam, vel saltem
antiquam hujus mirabilis itineris traditio-
nem in iis regionibus superesse itinerato-
res testati sunt (i). P. Claudius Sicard,
qui

(i) Artapanus apud Eusebium Lib. IX. *Præpar.*
Evang. cap. 27. vulgatum fuisse apud Heliopo-
litanos tradit, *Moysem, uti mare virga percu-
teret, divinitus admonitum, aquam virga teti-
gisse*

qui sacris missionibus in Ægypto diu operam dedit, hujus itineris accuratam nobis reliquit descriptionem, qua iis, quæ in Exodo memorantur, lux maxima affulget. Cum autem Voltairius hoc Israelitarum iter admittere cogitur, ad solitas ineptias redit, & Moysen scurriliter ut imperitissimum ducem carpit, quod ignoratione viarum 40. annos miseros Israelitas in hoc itinere detinuerit. Sed ipse ignorat altissimos supernæ providentiæ fines, quibus, ut S. Jo. Chrysostronus, aliique Commentatores observarunt, voluit Deus Hebræorum gentem ab Ægyptiacæ superstitionis reliquiis purgare, novæque legi assuefacere. Sed etiamsi verum divinæ providentiæ scopum hac in re assequi non possemus, nihil tamen puerilius esset, quam cum Voltairio fingere, hanc diutinam Hebræorum in deserto moram ex ignoratione viarum ortam fuisse.

XCIL.

gisse, ac deficientibus illico fluxibus copias sicco tramite deduxisse. Ex quo solo, si cetera desissent, patet, mentiri Voltairium, dum in Philos. Hist. cap. 19. hujus prodigii altum esse apud veteres silentium affirmat.

Postrema
de Moyſis
imperitia.

XCII. Postrema *Historici Phil.* difficultas non majoris est ponderis, quam alia. Quid enim? Etiamſi Moyſes non potuiſſet naturalibus mediis tantæ multitudinis curam gerere, an non certus erat, Deum ſecum futurum in deſerto, ſicut ejus præſentiam ſenſerat in *Ægypto*? Annon reiſa divinæ promiſſionis veritatem ſæpius expertus fuit, & in diſiſione maris, & in prodigioſa aquæ eruptione ex ſilice, & in pluvia coturnicum, & manna? Sed etſi mediis humanis tantummodo res gerenda fuiſſet, Moyſes, cui ſumma politicæ, & imperatoriæ artis laus denegari non poteſt, tantæ multitudini regendæ utique aptiſſimus erat.

Alia Voltairii calumnia contra Moyſem.

XCIII. Pergit tamen Moyſis adverſarius Voltairius, eumque impoſtorem appellare non veretur, quod ſcilicet fraudibus, & cædibus Hæbræos ſuæ ambitioni ſubjecerit. Obſervat, primum ipſius mandatum nomine Dei iis promulgatum fuiſſe, ut *Ægyptiorum* theſauros furarentur; poſt autem odium plus quam vaticanum iisdem inſpiſſe contra alienos Deos, eorumque cultores; hinc bella illa Judæorum crudelia, & internecina,

ut

ut nulla gens sævior unquam fuerit, quàm
Judaica (k). XCIV.

(k) Famofus est liber *de tribus impostoribus*, fcilicet Moyfe, Chrifto, & Mahumete; quem latine conferiptum volunt ante quinque ferme fecula. Eum folent admodum laudare increduli, fed a nemine lectus fuit; conftat enim eruditif, nonnifi titulum execrabilis hujus operis exiftiffe ufque ad annum 1721, quo infufus quidam impostor eum fe vidiffe, & in gallicum idioma vertiffe mentitus est. Liber tamen ab hoc Auftore evulgatus nihil est aliud, quam infelix rapsodia illius operis, quod varlis titulis jam prodierat, fcilicet *L' Esprit de Spinoza*, *Cymbalum mundi*, *Theophrastus redivivus*, ut advertit Prosper Marchand in *Diſſionn. hiſt. art. de tribus impostoribus*. Ut autem aliquod ſpecimen ineptiarum exhibeamus, quibus Auftor iſte Moyſem imposturæ convincere nititur, miraculum columnæ illius, quæ noctu ignea, interdium nebulofa apparebat, ita explicat, ut Moyſes more Arabum in defertis peregrinantium *focum* adhibuerit, ubi ignis accenſus noctu inſtar columnæ appareret, interdium autem nonnifi fumus videretur ad modum columnæ nebulofæ. Atque ita paſſim miracula Moyſis ineptiſſime interpretatur, ut omnes Hebræos ſtipites, ac caules fuiſſe oporteat, ſi ſibi a Moyſe tam craſſe, & ſtolide imponi paſſi fuiſſent. At vero, inquit hic auftor, ſi columna hæc ignea, & nebulofa dux itineris erat, cur Moyſes Num. X. 29, & ſeq. Hobab cognatum ſuum rogavit, ne ſe relinqueret, ſed eſſet ductor ipſius? Sed facilis eſt reſponſio, ſcilicet columnam igneam motu ſuo monſtraſſe Iſraelitis viam; præter hoc autem indigniſſe Moyſem viro perito, cujuſmodi erat Hobab Madianites, ad loca, & populorum vicinorum

Refutantur.

XCIV. Longum nimis esset, si omnia hujus auctoris dicteria, quibus gentem Judaicam, ejusque ducem Moysen vituperare non cessat, referre, ac refellere vellemus. Porro Moysen non fuisse impostorem vel ex iis laudibus constat, quibus non solum inter suos, sed etiam apud externos maxime celebratus fuit. Flavius Iosephus Lib. I. adversus *Apionem* n. 31. testatur, Moysen *ab Ægyptiis fuisse ita mirandum, ac divinum existimatum*, ut eum sibi vindicare voluerint, & finxerint fuisse Heliopolitem. Multo plura addit Eusebius in sæpius cit. Lib. IX. *Præp. Evang.* Verum ut quid hominum testimonio hac in re indigemus, cum Deus ipse Moysis virtutem, ac divinam legationem variis, & stupendis prodigiis confirmaverit, quorum veritatem negare non nisi scepticus, effectus autem naturaliter explicare non nisi insanus potest? Ægypti exspoliatio non furtum, sed justa mercedis

nomina, mores, vires, aliaque plura cognoscenda. Sed id speciminis loco plus quam satis. Ceterum de supposito illo *de tribus impostoribus* libro, qui falso vel Petro Aretino, vel Frider. Anobarbo ab aliquibus adscriptus est, erudita admodum prostat dissertatio D. de la Monnoje in fine Tom. IV. *du Menagiana*,

dis compensatio fuit Judæorum laboribus debitæ, & quidem a Deo rerum omnium Domino præcepta. Detestatio falforum Numinum rectæ rationi, & justissimæ divinæ legi de uno colendo Deo apprime erat consentanea. Nec denique injusta fuit, aut crudelis earum nationum exstirpatio, quarum scelera hanc pœnam promerebantur. Ceterum gens Judaica per 15, & amplius sæcula magnis prosperitatibus, magnisque infortuniis toti orbi notissima fuit, prout scilicet legem observando, aut violando Dei beneficia, aut indignationem promerebatur.

XCV. Sed ad Moysen revertamur, atque ut luculenter appareat, ipsum neque impostorem fuisse, neque humanis artibus, & mediis, sed virtute prorsus supernaturali populum Israëliticum a servitute Ægyptiaca liberasse, atque in Palæstinæ possessionem traduxisse, sufficit circumstantias hujus tanti facinoris vel leviter considerare. Agebatur enim *imo* de immensa pene hominum multitudine (aliqui ad terdecies centena millia numerant) e ditionibus Regis Pharaonis educenda. Porro æque difficile videbatur vel Regem ad consentiendum inflectere, vel ipso invito egredi; quomodo enim Rex tam facile

Ex circumstantiis apparet, Moysen non fuisse impostorem.

cile eos dimitteret, quorum operam tam utilem experiebatur? & quomodo ipso invito hæc multitudo inermis discedere potuisset? Nonnisi itaque iis magnis prodigiis, quæ in Exodo narrantur, potuit Moyses Regi persuadere, ut populum dimitteret, eundemque cohibere, ne populum, jam dimissum ad reditum cogeret. *2do* quibusnam rationibus humanis potuisset Moyses populum Israëliticum commovere, ut relicta Ægypto se tam longo, tam difficili, & tot periculorum pleno itinere committeret? *3tio* quomodo Moyses ut ut providentissimus potuisset tantæ multitudini in vastissimis, & inhospitis Arabiæ desertis necessaria omnia ad victum, amictum, aliasque vitæ commoditates solâ humana ope subministrare? Ac denique quomodo populus inconstans, seditiosus, ac duræ cervicis gravissimis illis legibus collum subdidisset, quas Moyses nomine Dei promulgavit, & quarum observantiam tanto rigore exegit, ut earum violatores, eosque non paucos, & ignobiles coram omnibus trucidari mandaverit? Id plane ostendit, toti illi genti persuasum fuisse, Moysen divinam legatione fungi, ac divinæ voluntatis interpretem, atque ministrum esse: hoc autem solis verbis, aut artibus qui-

quibuscunque, multo minus mendaciis, ac dolis efficere nunquam potuisset. Hæc breviter quasi delineavimus; multo autem magis hujus efficacissimi argumenti vis appareret, si omnes locorum, temporum, indolis nationis Judaicæ, hostium, aliasque id genus difficultates singulatim considerare potuissemus; liquido enim constaret, miraculum fuisse omnium maximum, si hoc totum sine miraculis fieri potuisset.

XCVI. Nec illud prætereundum, Moy-
 sis mandata semper maxima in veneratio-
 ne post ejus obitum toti genti Judaicæ
 fuisse. Elegit ille sui successorem non
 aliquem ex filiis, aut consanguineis suis,
 sed Josue, eique statim omnis po-
 pulus obedivit. Præcepit; quid in di-
 stributione terræ promissæ observandum
 esset, ejusque præceptis fuit sine murmu-
 re, aut ulla altercatione obtemperatum.
 Illius lex, quamquam admodum dura,
 semper vigit, tanquam lex divina ore
 Moysis promulgata. Uno verbo: si omnes
 Judaicæ gentis fastos subsequenti-
 bus temporibus evolvamus, tum etiam Christi,
 ipsiusque Apostolorum, ac totius Christia-
 næ Religionis auctoritatem attendamus,
 inficiari nemo potest, Moysen ut Dei le-
 gatum, admirandum thaumaturgum, ma-
 Gazzan. Theol. polem. S gnum.

Idem ap-
 paret ex
 his, quæ
 post ipsius
 mortem
 consecuta
 sunt.

gnumque prophetam habitum semper fuisse usque ad infelicem hanc nostram ætatem, qua sanctissimi hujus viri memoriã non sine maximo animi mœrore a quibusdam sciolis, vel falsa eruditione inflatis lacerari videmus.

Locus Josephi explicatur.

XCVII. Scrupulum aliquibus facit, quod Flavius Josephus Lib. II. *contra Apionem* n. 16. Moysen comparat Minoi, aliisque legislatoribus, qui suas leges a Deo se habuisse dicebant, vanique erant impostores. Hic tamen scrupulus facile eximitur, si verba Josephi præcedentia consideremus; dixerat enim paulo antea: *noster legislator (Moyfes) fuit non magus, non impostor, sicut conviciatores injuste pronunciant, sed quales apud Græcos gloriantur fuisse Minoem, & post eum legislatores alios;* quibus verbis prodit quidem Josephus suam timiditatem, ne Ethnicos offendat, eorum legislatores imposturæ accusando, non tamen Moyfi imposturæ suspicionem appingit, cujus famam vindicare ibidem pro scopo habet.

Argumentum contra Moyfis miracula ex infidelitate Ægyptiorum, & Hebræorum.

XCVIII. Videamus tamen, quid isti contra divinam Moyfis missionem objicere solent; & quoniam pleraque effugia, quibus aliqui post Spinozam miracula a Moyse patrata eludere student, in *P. Isagog.*

gog. Theol. dogm. jam præclusa sunt, nonnisi pauca quædam nobis expendenda supersunt. Et imo quidem tam stupenda Moyfis miracula vera non fuisse colligunt, tum ex Ægyptiorum infidelitate, & I-ha-raonis pertinacia; tum etiam ex Hebræorum inconstantia, qua sæpe veri Dei cultum deserebant, & contra Moyssem ipsum murmura, & seditiones excitabant;

XCIX. Quamquam vero id captu difficile sit, multo tamen est captu difficilius, quod supra observavimus (§. XCV.), potuisse Moyssem tot hominum millia Pharaone, aut permittente, aut invito ex Ægypto in Palæstinæ possessionem sine ullis miraculis ducere. Obstinatæ autem Pharaonis pertinaciæ, ac populi I-raëlitici inconstantiæ nulla alia afferri potest ratio, quam pravitas cordis humani, ad quam tollendam externa miracula minime sufficiunt, nisi Deus potentissima, & efficaci interna motione corda emolliat: hanc vero gratiam, quibus vult, misericorditer largitur; & pro sua justitia, quibus vult, denegat. Hæc quidem mysteria sunt nostris incredulis impervia, iis tamen reponere satis sit, contra saniores Criticæ regulas peccari, quando aliquid certis monumentis probatum ex eo solum

Solvitur.

negatur, quia ejus rationem claram, & apertam afferre in promptu non est. Miracula Moyſis non in angulo, non coram paucis, ſed palam, tota inſpectante Ægypto ita facta ſunt, ut nulla eſſe poſſit fraudis ſuſpicio. Quare autem Pharaon, aut Ægyptii iis credere noluerint, obſcurum, & incertum. Hebræos tamen miraculis Moyſis credidiſſe, dubitari non poteſt; quamquam nativa ſua inconstantia, & contra ipſum, & contra Deum ſæpius rebellaverint.

Objiciuntur quædam contradictiones in miraculis Moyſis

C. Ut iterum miraculis Moyſis fidem detrahant, ſolent increduli una cum Voltairio quædam objicere, quæ in hiſtoria eorundem miraculorum ſibi invicem pugnantia ſe deprehendiſſe jaçant. Sic Exodi VII. 19. dicitur, omnem aquam, quæ erat non ſolum in fluviis, rivis, & paludibus, ſed etiam in vafis ligneis, & faxeis, fuiſſe verſam in ſanguinem; & poſtea v. 22. ſubditur: *feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis*: jam vero quæritur, quamnam aquam potuerint malefici in ſanguinem vertere? Præterea cap. IX. 6. *mortua fuiſſe dicuntur omnia animantia Ægyptiorum*; inferius vero cap. XIV. dicitur, Pharaonem

nem cum omni suo equitatu Hebræos fugientes persecutum fuisse.

CI. Parvi tamen, immo nullius momenti sunt hæ antilogiæ, quas mirum certe esset, fugisse Moysen, virum, ut adversarii putant, ita vasum, ut potuerit toti nationi Judæorum imponere. Et quantum ad Imum; potuerunt magi aquas e mari, vel e terra Gessen, vel etiam ex puteis, quos effodisse dicuntur Ægyptii v. 24. habere, & in sanguinem convertere. Aliud de animalibus facile explicatur, observando, nonnisi animalia, quæ erant in agris, fuisse peste correpta, quod colligitur ex v. 3. *Ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos . . . pestis valde gravis.*

Quæ facile solvuntur.

CII. Nonnulla alia affert Auctor *Hist. Phil.*, quæ in Exodo incredibilia inveniuntur, ut inde etiam miracula ibi narrata falsitatis convincat. Imo incredibile est, quod Exodi XXXII. dicitur, Aaron *una die* formasse opere fusorio vitulum aureum, ad quod certe plus temporis requiri videtur. 2do adhuc incredibilius est, quod ibidem v. 20. subditur, Moysen combussisse hunc vitulum aureum, & contrivisse usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis

Obieciuntur quædam incredibilia.

Israel. 3tio ridicula etiam, & absurda promissio illa Moyfis nomine Dei, Israelitas obtenturos esse Palæstinam, *terram bonam, & spatiosam, quæ fluit lacte, & melle*, Exodi III. 8. Scimus enim Strabone testante, Palæstinam fuisse saxosam, & sterilem: Strabonis autem testimonium cum hodierno situ, & soli statu optime concordare ait Jo. Tolandus in *Origini-bus judaicis*.

Refutatur
primum de
vitulo au-
reo.

CIII. Hæc tamen tanti non sunt, ut valeant fidem Moyfis elevare, ac dubia de divina revelatione in ejus libris contenta excitare. Nam imo falsum est, vitulum aureum fuisse ab Aarone *una die* conflatum, quamvis non negemus, intra paucos dies, quibus Moyfes in monte *Sinai* moras traxit, fieri debuisse. Neque vero credere debemus, hunc vitulum talis magnitudinis, aut elegantiae fuisse, ut ad eum conficiendam multum temporis requireretur; præcipue cum opere fusorio, non autem sculptura elaboratus fuerit. Aurum in pulverem ita redigi posse, ut p tabile fiat, res est peritioribus Chymicis notissima, de qua videri possunt Becher in *Physica subterranea* Lib. I. sect. V. cap. 3, & Georgius Ernestus Stahl in *specimine Becheriano* sect. XI.

Immq

Immo hoc aurum potabile a multis factum esse, narratur, & potum esse amarissimum, quem propterea Israelitæ in pœnam præcedentis idololatriæ sumere coacti sunt (1).

CIV. Quidquid autem Strabo, aliique eum secuti de terra Chanaan dicant, certum est, eam admodum amplam fuisse, utpote quæ duobus fluviis, Nilo, & Euphrate continebatur, prout Deus Abrahamo promiserat Gen. XV. 18; quamquam Hebræi bellorum pertæsi totam occupare neglexerunt. Ea tamen pars, quam re ipsa possederunt, spatiosa dici poterat, saltem in comparatione terræ Gessen, in qua prius morati fuerant. De Palæstinæ autem soli ubertate multa tradunt Theophrastus Lib. III. *de causis plantarum*, cap. 25., Plinius Lib. XII. *Hist. nat.* cap. 25., Justinus Lib. XXXVI. cap. 2. & 3., Tacitus Lib. V. *Hist.* cap. 6., Ammianus Marcellinus Lib. XIV. cap. 8, qui eandem viderat, & pluribus aliis omiſſis, Procopius, qui Sec. VI. Judæam fuisse dicit *excellenter fertilem*,

Tum alterum de Palæstinæ latitudine, & fertilitate.

S 4

opu-

(1) Has, & similes Voltairii difficultates non minus falsæ, quam erudite solvit Auctor *des Lettres de quelques Juifs Portugais, & Allemands à M. Voltaire Lettre V.*

opulentam, populosam Lib. XI. *de bello Persico* (m). Ex quibus patet, fidem Straboni adhibendam non esse, qui, ut Elsnerus in sua *Dissert. de Palaestina excellentia* conjectatur, ex aliorum tantum, non autem ex proprio testimonio hæc retulit. Quamvis fortasse Strabo de solo Jerusalem ambitu locutus est, non vero de tota Palæstina.

Alia difficultas Voltairei.

CV. Non absimiliter respondetur alteri difficultati, quam Voltairius in Lib. *de tolerantia* proponit ex cap. XXXI. Lib. *Numeri*, ubi dicitur, prædam, quam Israelitæ ex Madianitis ceperant, fuisse ovium 675000, boum 72000, asinorum 61000, fœminarum, quæ non tetigerant viros, 32000; hoc autem ipsi videtur impossibile, cum Madian nonnisi exigua fuerit
Idu-

(m) Multos alios auctores omittimus brevitatis gratia, præcipue autem Brockardum, qui Sec. XIII. in Palæstina 10. annos moratus est, ejusque miram fertilitatem contra alios eam negantes vindicavit in sua *Terræ Sanctæ Descriptione* cap. II. Quamquam si posterioribus temporibus infœcunda facta fuisset, id mirabile videri non deberet, cum id ipsum pluribus aliis regionibus contigisse noverimus. Immo id prædictum a Moyse jam fuerat *Deuteron.* XXIX. 22. & seq. Legi tamen ex recentioribus meretur *Palaestina* Hadriani Relandi, ubi quisnam præfens illius terræ status sit, facile disci poterit.

cipue Romanorum, qui sub Rege Servio supra 200000. hominum numerabant, cum tamen eorum regio vix 8. leucas quadratas æquaret. Vid. *Lettre VII. de quelques Juifs Portugais, & Allemands.*

Objectio
contra Mo-
saicam
mundi epo-
cham.

CVII. Solent denique increduli Moysem falsitatis redarguere in epocha mundi, quam figit, contendentes, eum esse multis sæculorum millibus antiquiorem. Et præter fabulosas Chaldæorum, aliorumque populorum Chronologias, quas refutavimus in *Theol. systemat.* P. IV. §. 125, systema celeberrimum Buffoni adoptant, terram scilicet fuisse olim marinis aquis totam submersam, eas autem sensim, ac sensim sibi fossas excavasse, unde postea montes, & valles, & vasti terrarum tractus aquis defluentibus apparuerunt; ad hoc autem præstandum initis calculis illius temporis, quod modo mare infumit, dum ab aliquibus oris recedit, multa sæculorum millia necessaria fuerunt.

Solvitur.

CVIII. Nimis a proposita nobis brevitate recederemus, si omnia vellemus huc afferre, quæ Clar. Buffono eruditè objecerunt, præcipue autem Auctor *des lettres a un Americain sur l'Histoire naturelle de M. Buffon.* Sed hoc observasse sufficiat, Buffoni systema mere esse

esse imaginarium, nullique fundamento subnixum; immo quotidianæ experientiæ contrarium: quantum enim mare ab aliquibus oris recedit, tantum in aliis oris dilatatur, quin illius fundi profunditas magis excavetur. Præterea si semel supponeretur, mare universam tellurem instar globi aquei circumambivisse, vix, ac ne vix quidem aliqua sufficiens causa afferri posset, cur undæ fluxu suo valles, & canales sibi efformassent, ut inde montes exurgerent, & immensi terrarum tractus aquis liberati frugiferi evaderent. Quæ autem in hanc rem argumenta affert Buffonus, multo facilius, & verius a diluvio universalis repetuntur. Nulla est ergo ratio, cur a Mosaica mundi epocha recedamus. Vid. *Oevres du P. La-Berthonye Tom. II. XI. Instruct. p. 29. & seq.*

CIX. SCHOLION. Solent increduli, ad elevandam miraculorum, ac vaticiniorum Moysis veritatem, dubia movere de auctore, atque integritate *Pentateuchi*; unde necessarium videretur, hanc criticam controversiam accurate, copioseque hic pertractare; sed cum nonnulla de ea jam dicta sint in *P. Isagog. Theol. dogmat. §. LXXIII, & seq.*, huic operi superse-

De authentia librorum Moysis.

de-

dere nos posse putamus. Observamus præterea, etiam si Pentateuchum a Moyse minime conscriptum fuisse, evinceretur, non propterea veritatem miraculorum, ac vaticiniorum Moyſis notare, cum eorundem memoria & in reliquis pene omnibus V. T. libris, & in *Antiquitatibus Judaicis* Flavii Josephi, & universæ Hebræorum nationis traditione perpetuo conservata fuerit: immo ad perenne exitus Israelitarum ex Ægypto monumentum anniversaria gratiarum actionis solemnitas apud Hebræos instituta fuerit, ac religiose semper custodita; ut proinde etiam si litteræ sacræ deessent, nulla foret ratio, cur de præcipuis saltem Mosaicis prodigiis dubitaretur. Multo etiam minor esset dubitandi ratio de legibus, sacrisque institutis a Moyse Dei nomine promulgatis, quæ eadem universali, & constanti traditione apud populum Judaicum semper viguerunt. Si quis tamen de librorum Moyſis *authenticia* instrui cupit, adire poterit *Prælectiones Theologicas* P. Gazzaniga Tom. IV. cap. 5, & Auctores quamplurimos ibidem allegatos, ac denique eruditissimum opus P. Fabr. Fabricy *Des Titres primitives de la Révelation, ou considerations critiques sur la*

la pureté, & l'intégrité du Texte original des livres saints dans l'ancien Testament. Nunc de divina Revelatione in N. T. contenta, ex qua revelatio V. T. iterum comprobatur; Christus enim non venit *legem veterem solvere, sed adimplere.* Math: V. 17.

C A P U T VI.

De revelatione N. T.

CX. *Multifariam* (ita ordiebatur S. Paulus suam Epistolam ad Hebræos) *multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio &c.;* quibus verbis ostenditur, quantum revelatio N. T. facta per Jesum Christum eam excellat, quæ per Moysem, aliosque Prophetas in V. T. facta fuerat: excellit autem, non quantum ad substantiam articulorum fidei, quæ semper eadem fuit, sed quantum ad explicationem, majoremque perspicuitatem credendorum, ut S. Thomas observat 2. 2. Quæst. 1. art. 7. Porro locus hic non est, ut consubstantialem D. N. Jesu Christi divinitatem

Scopus hujus Capituli.

tem contra veteres, novosque Arianos vindicemus; quamquam hoc sit primum, & capitale Religionis Christianæ dogma; sed nobis contra Naturalistas agentibus satis erit ostendere, Christum Dominum divinam suæ doctrinæ, quam annuntiavit, revelationem miraculis, vaticiniis, omnique alio argumentorum genere demonstrasse. Neque iterum provinciam hic assumemus *γυμσιότητα*, & *αυθεντία* omnium librorum N. T. ostendendi; tum quia id jam præstitum est, saltem breviter, in *P. Isagog. Theol. dogm.* cap. XI, & in *Introduct. Hermen.* Stephani Hayd Sect. I. cap. 3; tum quia etiam si hi libri non essent genuini Apostolorum foetus, nec Deo inspirante conscripti, illorum saltem antiquitas, quam Naturalistæ inficiari nullo modo possunt, ad fidem historicam faciendam abunde sufficeret; ac demum etiam libris ipsis sepositis sola universalis traditio, cujus linæ non interrupta serie ad Christi usque tempora ascendunt, hanc veritatem, de qua agimus, certissimam facit.

Incredulorum calumnia contra J. Ch.

CXI. Porro animus horret, cum execrabiles blasphemias leguntur, quas impii nostræ ætatis increduli omni abjecto pudore

dore contra Jesum Christum evomunt (n),
cujus miracula ad apiles fabulas amandant,
vaticinia ut commentitia rejiciunt, ac di-
vinam doctrinam superstitionibus accen-
sent. Quamquam vero multa ad horum
temeritatem compescendam dicta jam
sunt in cap. X. P. *Isagog. Theol. dogm.*,
quia tamen res tanti momenti est, ut
nulla major esse possit, non pigebit, alia
iis addere, ut veritas hæc fundamentalis,
quanta fieri potest maxima certitudine
confirmetur, & fallaciarum nebulæ, qui-
bus impii eam obvolvare nituntur, peni-
tus dissipentur.

CXII. Potissimum autem incredulo-
rum molimen eo tendit, ut miracula Chri-
sti de medio tollant; iis enim existenti-
bus

Certitudo
miraculo-
rum Christi.

(n) Notum est omnibus odium plusquam vatini-
num, quo Judæi omni tempore Christum Do-
minum, ejusque affectas persecuti sunt; adeo
ut eos consuevissent ter per singulos dies nomen
christianum anathematizare, tradunt SS. Hiero-
nymus ad cap. V. *Ijaia*, & Epiphanius *Hæresi*
XXIX; sed moderni increduli iis minime ce-
dunt in disteriis, calumniis, omnisque gene-
ris injuriis contra sanctissimum Christi nomen
evomendis. Legi sine stomacho non possunt
l'Hist. Critique de J. C., *le Christianisme dévoilé*,
le militaire philosophe, aliique hujusmodi non
minus insultus, quam infames libri, ilque
præsertim, qui a venenato Voltairii calamo
prodire.

bus Christianorum fidem convellere se posse non sperant. Quomodo autem id efficere valeant, certe non videtur, nisi, invec̄to universalī pyrrhonismo, omnia ea negare præsumant, quæ in probatissimis antiquitatis auctoribus tradita inveniuntur. Miracula enim Christi nec pauca sunt, neque ambigua, neque clam, aut in angulo facta, ut ulla fraudis, aut deceptionis suspicio prudentibus relinqui possit. Cæcos illuminavit, mutis loquelam restituit, surdis auditum, paralyticos, aliosque infirmos sanavit, mortuos ad vitam revocavit, panes semel, atque iterum ita multiplicavit, ut pluribus hominum millibus alendis sufficerent; ac, ne forte aliquis suspicaretur, hæc & alia insignia prodigia magicis artibus fuisse patrata, dæmonia ipsa ab obsessis ejecit, ostendens, se dæmonibus imperare, non servire; ac denique omnibus his miraculis quæsi sigillum imponens post tres dies, quomodo jam prædixerat, redivivus apparuit; suæque resurrectionis veritatem ita evidenter probavit, ut Apostoli, & discipuli ejusdem testes pro ea confirmanda maximos labores, sævissimas persecutiones, ludibria, cruciatus, carceres, ac mortem ipsam tolerare non dubitaverint.

Hæc

Hæc autem omnia non ab uno, vel altero ignobili scriptore, nec falsis, aut incertis rumoribus, sed a testibus oculatis, iisque integerrimis, a scriptoribus coævis, a publica fama, ab universali demum, ac constantissima traditione ad nos usque pervenerunt (o).

CXIII. Ridiculi autem sunt, qui hanc communem, ut ita dicam, hominum vocem falsitatis suspectam reddere nituntur, quia nihil facilius esse putant, quam a paucis versutis maximam multitudinem decipi, adeo ut integræ nationi persuaderi possit, diem non esse a sole, si sex tantum viri id sibi persuasum esse ostenderint (vid. Fontenellius *Hist. des oracles*, Differt. I. ch. II.). Unde etiam Bælius in *Diction.* art. *Abdere*. Rem. H. ex Luciano refert, fuisse olim Abderæ sub regno Lyfimachi homines quodam

Vana contra ipsam incredulorum cavillatio.

epi-

(o) Hanc certissimam miraculorum Christi fidem uno veluti flatu se exfuffare posse putant increduli, dicentes cum Voltairio: *Homines simplices viderunt prodigia, & semper videbunt; increduli nunquam viderunt, nec videbunt.* S. Paulus vir simplex non erat, & erat incredulus, & tamen vidit miraculum, ex quo fidelis factus est. Plura suppetunt hujusmodi exempla, quorum nonnulla indicabimus cap. sequ.

epidemico morbo correptos, in cujus accessu adeo ægrotorum imaginatio æstuebat, ut mirabili quodam cestro perciti comedias recitarent; & more suo colligit, spiritum non minus, quam corpus, esse epidemicis morbis obnoxium, ut aliquis fanaticus in opportunis circumstantiis possit totam multitudinem enormiter decipere. Sed nugæ hæ sunt, in quibus piget tempus frustra conterere. Quomodo enim hæc Apostolis aptari possunt, qui non prius Christi resurrectioni fidem adhibuerunt, quam essent de ejus veritate visu, auditu, tactu, atque omnium sensuum testimonio convicti? Qui pro ea asserenda nec laboribus, nec sanguini, nec vitæ ipsi pepercerunt? Quomodo aliis fidelibus, qui christianam religionem utut naturæ corruptæ passionibus maximè contrariam amplexi sunt, ac pro ea defendenda mortem ipsam oppetere non dubitarunt? Sed aliis omissis, fictitius ille Abderitarum morbus, ipso Luciano teste, in maximis æstatis caloribus grassatus est, adveniente hyeme cessavit: persuasio de Christi miraculis, ac resurrectione 18. fere seculis jam durat; eandemque nunquam cessaturam, quidquid increduli contra eam moliantur, certissime credimus.

CXIV. Neque vero Apostolorum, aliorumque Christi discipulorum fides nutare potest, ut quidam objiciunt, quia in propria causa loquebantur, & quia altum est apud alios scriptores, aut synchronos, aut fere synchronos, ut fuerunt Philo, Flav. Josephus, & Justus Tyberiadis, miraculorum Christi silentium. Non, inquam, id obest; nam quantum ad *imū* omnes illi, qui primi miraculorum Christi testimonium præbuerunt, aut Hebræi erant, aut Gentiles, qui rei veritate convicti Christi religionem amplexi sunt; quo fit, ut eorum testimonium eo sit efficacius, quo majorem hujus rei persuasionem facto ipso ostenderunt. Aliorum vero scriptorum silentium, utpote argumentum *inficiale*, nullum causæ nostræ præjudicium affert; quæ aliorum scriptorum testimonio innititur; quorum fides nullo pacto labefactari potest, cum nec decipi potuerint; nec ulla causa appareat, cur mentiri voluerint. Sane isti Auctores nec ullam faciunt mentionem religionis Christianæ, quæ tamen tunc temporis fere ubique florebat. Cæterum aliqua miraculorum Christi vestigia etiam apud ethnicos auctores apparere; eruditi non ignorant, quamquam his non

Nostrorum
scriptorum
fides mini-
me nutat:

indigemus ad eorum veritatem demonstrandam (p).

Dubia contra Christi miracula.

CXV. Instant tamen, observantes unam cum celebri Isaac Orobio, religioni Christianæ plurimos, imprimis autem doctos contradixisse, quod colligitur ex *Act. Apost. XXVIII. 22*; immo, ut habetur Jo.

(p) Celebre est Josephi testimonium Lib. XVIII. *Antiquit. Judaic.* cap. 3. edit. Havercampii, quod ut genuinum a bene multis defenditur. Miraculum etiam tenebrarum, quæ in Christi morte factæ sunt, a Pſegonte, & ab aliis commemoratum creditur, de quo videri potest *Dissert. P. Calmet de tenebris in obitu Jesu Christi*, & etiam Melch. Canus Lib. XI. *de locis Theolog.* cap. 2, ubi Erasum reprehendit, qui tenebras illas nonnisi in Judæa factas fuisse putavit. Qui autem plura Ethnicorum testimonia de Christo videre cupit, adeat Dan. Huetium in *Demonst. Evang.* Propos. 3. *Bulletum dans l'histoire de l'établissement du Christianisme tirée des seuls Auteurs Juifs, & Païens*, & P. de Colonia, in Lib. *La religion chretienne autorisée par le temoignage des anciens Auteurs Païens*. Ceterum nostri Apologistæ miraculum prodigiôsæ eclipseos, ut rem omnibus notam, atque in publicis tabulariis commemoratam afferre non dubitarunt. Legantur Tertullianus in *Apologetico* cap. XXI, ac Lucianus Martyr, qui teste Ruffino ita fidenter gentiles alloquebatur: *requirite in annalibus vestris, & invenietis, temporibus Pilati Christo patiente, fugato sole interruptum tenebris diem*. Videri etiam possunt Eusebius in *Chronico*, & Auctor *Chronici Alexandrini*.

Jo. VII. 5. *nec fratres Christi credebant in eum.* Certum est etiam, plurima contra Apostolos, & Evangelistas fuisse ab Ethnicis opera divulgata (q); quæ si extarent, facile esset, Christi, ejusque discipulorum dolos, fraudesque detegere. Demum si vera fuissent Christi miracula, totus mundus ei adhæsisset, Judæi præcipue, qui eo tempore Messiam expectabant, eaque propriis oculis usurpare debuerunt; atqui nonnisi paucissimi, iique ut plurimum rudes, & ignobiles Christo crediderunt: ceteri autem potentiores, & perspicaciores potius Christi mortem a Pilato instanter petierunt, ejusque affectas persecuti sunt, Vid. Joan. VII. 48.

T 3

CXVI.

(q) Inter alios eminuit Porphyrius, cujus opera in XV. libros partita, teste S. Gregorio Nazianz. in IV. Orat. *contra Julianum*, a gentilibus veluti divina prædicabantur. In iis autem non minus vetus, quam novum testamentum evertere conabatur. Porphyrii vitam edidit Lucas Holstenius, & prostat in *Biblioth. Græca* Jo. Alb. Fabricii Tom. IV. p. 205. Hierocles etiam Ægypti Præfectus, & magnus Ecclesiæ persecutor in duobus libellis, quos ad Christianos direxit *ita falsitatem scripturæ sacræ arguere conatus est, tanquam sibi tota esset contraria*, ut Lactantius testatur Lib. V: *Divin. Institut.* cap. 2. Nota præterea sunt nomina Celsi, atque Juliani, quorum primum confutavit Origenes, alium S. Cyrillus Alexandrinus.

Elucidan-
tur:

CXVI. Non inficiamur, totum mundum religioni Christianæ initio contradixisse; id tamen mirabile videri non debet, tum propter præjudicia, & errores, quibus homines erant præoccupati; tum propter difficultatem moralis Christianæ, quæ cupiditatibus corruptæ naturæ majorem in modum adversatur. Hæc tamen obstacula religio Christiana ubique superavit, & superstitione devicta Romæ triumphalem suam sedem fixit, ubi prius erat summum idololatriæ imperium. Hoc si absque miraculis factum est, clamat Augustinus Lib. XXII. *de Civit. Dei* cap. 5, miraculum esse omnium maximum. Vid. etiam S. Jo. Chrysostomus Homil. VI. in Epist. I. ad Corinth, & S. Thomas Lib. I. *contr. Gent.* cap. 6. ubi inquit: *esset autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, & operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus, & ignobilibus hominibus.*

Continua-
tio ejus-
dem mat-
riæ.

CXVII. Quidquid autem libri contra Christum, ejus discipulos, & nostram Religionem editi continebant, adhuc superest in nostris Apologistis, qui tantum abest, ut ex iis timuerint aliquam labem veri-

veritati nostræ fidei afferri posse, ut objectiones hostium nostrorum propriis ipsorum verbis voluerint suis scriptis inferere. Sic Justinus Tryphonis, Origenes Celsi, Cyrillus Juliani, Augustinus Porphyrii argumenta expressis ipsorum, verbis recitant (r). Rursus si magna illa gentilitatis lumina aliquid solidi contra nostræ Religionis fundamenta objecissent, certe vel aliquos, præsertim doctos ab ea ad idolatriam iterum revocassent, vel saltem impedivissent, ne Christi fides magis, magisque indies propagaretur: at vero res contra accidit; nam crux Christi non minus contra sapientiam, quam contra potentiam hujus mundi triumphavit, & tandem ubique sapientes æque, ac potentes sponte sibi fasces submittere vidit.

CXVIII. Tertia difficultas sic solvitur. Miracula ad conversionem sola non sufficiunt.
 Ad cordis conversionem externa miracula non sufficiunt, nisi interior, potentior-
T 4
que

(r) S. Jo. Chrysof. Lib. de S. Babyla Tom. II. Operum inquit: *Eorum (Philosophorum, ac Rhetorum.) qui adversus Christianam Religionem dimicantur scripta usque adeo risu digna sunt, ut ex eorum libris alii jam diu perierint, alii statim, ac visi sunt, exolverint. Quodsi quid ex eis superfit, apud Christianos servari comperitur. Tantum abest, ut ex eorum insidiis damni quidpiam nobis timendum suspicemur.*

que Dei gratia ejus duritiem tollat; unde etiam Act. XIII. 48. Paulo, & Barnaba prædicantibus ex gentibus credidisse dicuntur, *quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Aliud est enim intellectum convincere, aliud voluntatem permoveere; facile enim contingere potuit, ut plerique ad miracula Salvatoris ne attenderent quidem, ne scilicet animi tranquillitatem turbarent; alii vero ea magicis artibus tribuerent, atque diligenter examinare prætermiserint, ut a falsis impostorum præstigiis secernerent; alij denique fortasse commoti erant, sed rerum temporalium amore quasi glutine quodam implicati rem in posterum differebant; post autem impressione a miraculis facta sensim, ac sensim decrescente in sua cæcitate increduli permanserunt. De Judæis autem minus mirandum est, qui Messiam quidem expectabant, non eum tamen, qualem Christum videbant, sed qui temporali potentia pristinum ipsorum florentissimum regnum restitueret.

Non pauci
miraculis
Christi fue-
runt con-
versi.

CXIX. Ceterum concedi minime debet, nonnisi paucos, & rudes fuisse ex judæis Christi miraculis conversos. Rudes non erant, aut plebeji Regulus Capharnai, Centurio, Lazarus, Nicodemus,

mus, ac præcipue S. Paulus legis Doctor, cujus mirabilis conversio fatis esset ad fidem miraculorum Christi adstruendam. Et si quis plura hac in re desiderat, adire poterit eruditissimum P. Mamachium Ton. I. *Originum, & antiquitatum Christianarum*, in παρῆγορ contra Campegium Vitringam, & P. Castum Innoc. Anfaldi in opere: *Multitudo maxima eorum, qui prioribus Ecclesie sæculis christianam Religionem professi sunt* adversus Davidem Clarksonum &c. Et ut supra (§. CXVI.) monuimus, multo magis difficile captu est, potuisse istos sine miraculis novam Christi religionem amplecti, quam alios ei pertinaciter contradixisse. Addo demum, hanc obstinatam Judæorum excæcationem fuisse tam in veteri, quam in novo Testamento prædictam. Isaïæ VI. 9, & Marci IV. 12.

CXX. Instant ulterius sciscitantes, qui fieri potuerit, ut tot, tamque stupenda prodigia, quæ in Christi nativitate facta dicuntur, Angelorum visiones, stellæ apparitio, Magorum adoratio, infantium cædes, Simeonis prophetiæ alta sepelirentur oblivione, adeo ut Christus 30. annorum vitam omnino obscuram egerit, & solum triennio ante suam mortem innotue-

Resp. cul-
dam adver-
sariorum
questioni.

rit? Resp. id pluribus de causis fieri potuisse. Imo potuit, ab aliquibus credi, in magna illa infantium strage ab Herode edita Christum e vivis sublatum (s). 2do ejus fuga in Ægyptum, & longum a sua Patria exilium eorundem prodigiorum memoriam delere potuit; præcipue cum ea non in Nazareth, sed in Bethlehem, & Jerusalem facta fuerint. 3tio potuit etiam ad id conferre falsa illa, sed communis Judæorum persuasio, venturum quidem circa ea tempora Messiam, sed cum majestate, & potentia temporali ad restituendum regnum Israel. Quidquid sit, vanæ sunt conjecturæ, ubi res certissimis constat monumentis.

Objectiones
Roussavii,

CXXI. Post hæc audiendus est etiam hominum paradoxotatos Roussavii, qui
in

-
- (s) Voltairius infantium stragem fictitiam esse contendit, quia Josephus nullam ejus mentionem facit. Sed quæ fronte S. Matthæus in re tam publica mentiri ausus fuisset? Josephus *Antiquitates suas Judaicas* sub Domitiano absolvit, hoc est, 100. fere annis post innocentium cædem; quapropter eam ignorare potuit; aut etiam eam potuit dissimulare, ne inde occasionem haberet narrandi quoque apparitionem stellæ, & Magorum adorationem, quæ res Christianæ Religionis, quam oderat, famam augebant. Vid. Dissert. P. Anselmi *Vindiciæ infanticidii Herodiani*.

in 3tia Epist. scripta *de monte* ex Evangelio probare se posse confidit, nulla a Christo patrata fuisse miracula. Cum enim, inquit, Doctores signum a Christo petissent Matthæi XII. 38, non respondit Jesus: *jam sexcenta signa, & miracula vidistis*, neque eorum petitioni satisfecit, miracula patrando, sed respondit: *generatio mala, & adultera signum querit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophætæ*; hoc est, ut commentatur Rousseavius, prædicatio sanæ doctrinæ (t). 2do nullum a Christo factum fuisse miraculum, luculenter indicat illa Judæorum interrogatio Jo. VI. 30. *quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi? quid operaris?* Christus autem non revocavit in Judæorum memoriam signa jam facta, sed quæstione calide declinata de panis cœlesti sermonem instituit. 3tio si quod videbatur Christi insigne miraculum, certe illud fuit multiplicationis panum; illud tamen non esse litteraliter, sed mystice intelligendum, ex

eo

(t) Voltairius solita sua mentiendi consuetudine *plusquam decies* signa a Christo fuisse petita asserit, & ab eo semper negata; cum tamen nonnisi semel, & iterum hæc petitio facta invenitur.

eo evincitur, quod ipsum discipuli non intellexerunt: Marc. VI. 52. *non intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcoecatum*; & rursus cap. VIII. 21. Christus Dominus eos increpans dicebat: *quomodo nondum intelligitis?* Demum si Christus tot miraculorum patrator exstitit, cur ea facere non potuit in patria sua, ut dicitur Matthæi XIII. 58? Neque enim satis est respondere, ex hominum incredulitate id esse ortum, namque ad hominum incredulitatem vincendam miracula erant ordinata.

Solvitur
prima.

CXXII. Certe id minime expectabatur ab incredulis, ut ex Evangelio probarent, nulla a Christo facta esse miracula, cum totum ejus miraculis plenum sit. Sed isti loca quædam obscuriora studiose colligunt, ut clavis, & apertis tenebras ofundant; perperam tamen, cum facile sit has tenebras dissipare. Et Iunius quidem cum S. Thoma P. III. Quæst. 43. art. I. ad I. post SS. Hieronymum, & Chrysostomum explicari debet non de signo, aut miraculo quocunque, cujusmodi multa viderant jam Hebræi, sed de signo aliquo cœlesti, quod etiam S. Marcus clarius exprimit cap. VIII. II. narrans, Pharisæos quæsisse a Christo
fignum

fignum *de caelo*. Miranda est autem Roufseavii confidentia, dum fignum Jonæ Prophetæ nihil aliud esse vult, quam Evangelii prædicationem, cum Christus ipse sua verba explicuerit de miraculo suæ resurrectionis, e vestigio subdens: *sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.*

CXXIII. 2da difficultas statim evanescet, si totum perpendamus contextum. Imo dicit Evangelista v. 2. multitudinem magnam secutam esse Jesum, *quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur*: post autem describit insigne illud miraculum multiplicationis panis, & piscium, quod signum, cum vidissent homines, dicebant: *quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* v. 14. Deinde v. 19. narrat, Jesum *supra mare ambulasse*. Hæc omnia miracula in eodem capite descripta mirum est non vidisse, aut videre noluisse Roufseavium. Quando ergo Judæi Christum interrogant: *quod ergo tu facis signum* &c. idem est, ac si dicant: quæ hæcenus signa fecisti, nondum sufficiunt, ut te filium Dei credamus; nam Moyse

Solvitur
secunda.

ma-

majus signum fecit, quam fuerit panis multiplicatio: *Patres nostri*, inquebant v. 31, *manducaverunt manna in deserto &c.*, volentes scilicet, ut miraculum multiplicationis panis perpetuo renovaret, quo vescerentur otiosi, sicuti eorum *Patres* in deserto; unde & dicebant v. 34: *Domine semper da nobis panem hunc.* Christus autem, non callide declinata quæstione, sed omnino ad rem de panē cœlesti, cujus figura erat manna, sermonem instituit. Quodsi miraculum iterare justis de causis recusavit, non propterea efficitur, ipsum nulla antea miracula pertrasse.

Solvitur
tertia.

CXXIV. Eademque ratione perpenso contextu tertia difficultas evanescit. Ita enim habet Marcus cap. VIII. 14. & seq: *& oblitī sunt (discipuli) panes sumere - - & cogitabant ad alterutrum dicentes: quia panes non habemus.* Quo cognito ait illis *Jesus: quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognoscitis, nec intelligitis? Adhuc cæcatum habetis cor? - - - Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei, duodecim: Quando & septem panes in quatuor millia,*
quot

quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: septem. Et dicebat eis: quomodo nondum intelligitis? scilicet nihil vobis defuturum. Eodemque sensu explicanda sunt verba capituli VI. 52; vel fortasse, quod magnitudinem illius miraculi non omnino intellexerint.

CXXV. Falsum est autem, Christum nulla in Patria sua patrassè miracula, & multo falsius, eum non potuisse ibi miracula patrare; nam apud Matthæum dicitur: *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum*, quia scilicet non credentes primis miraculis indigni erant, ut alia, & majora reciperent. Dicitur quidem Marc. VI. 5. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit*. Verumtamen non est insolens in SS. Litteris, ut non posse sumatur pro non convenire, quemadmodum Gen. XVIII. 17. dixit Dominus: *num celare potero Abraham, quæ facturus sum?* & cap. XIX. 22. *non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc*; ut proinde horum verborum sensus sit: haud decuisse, Christum miracula multiplicare apud eos, qui primis fidem denegabant. Sic facile Ge-

Solvitur
postrema.

ne-

nevensis Philosophi sophismata dispelluntur.

Difficultas
ex quibus-
dam Christi
miraculis:

CXXVI. Sed mirantur alii, quædam referri Christi prodigia inutilia, ridicula, & Deo indigna, cujusmodi sunt, mutatio aquæ in vinum, ut convivæ jam ebrii magis inebriarentur Jo. II. 10, ficulneæ arefactio, quod fructus intempestivos non tulerit Matth. XXI. 19. & dæmonum immissio in porcorum gregem, qui se in mare præcipitarunt, Matth. VIII. 30. & seq.

Enodatur,

CXXVII. Isti vero non attendunt, sanioris criticæ regulam esse, ut si aliquid obscurum sit, per clarius explicetur, non contra. Jam vero; ut animadvertebat Duguet *Principes de la foi chrét.* P. III. c. 20. art. 3, habemus miracula Christi *adeo gravia, Deo digna, locis, personis, & veritatibus, quibus confirmandis sunt edita, adeo adaptata, ita demum sapienter, modeste, & religiose conscripta,* ut ejus virtus divina illico conspiciatur. His ergo innixi debemus etiam alia sapienter, & utiliter facta æstimare, quamquam eorundem finis nos lateret.

Et magis
etiam de-
claratur.

CXXVIII. Potest tamen horum prodigiorum aliqua non incongrua ratio assignari. Miraculum conversionis aquæ in vinum

num non fuit inutile: eo enim, ut dicitur Jo. II. 11. *manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.* Neque vero negotium facessat illa vox *inebriari*; hæc enim ibi significat tantum *bibere, quantum natura indiget.* Ficulneæ exsiccatio parabola fuit, ut intelligerent Judæi, Synagogam esse delendam, quod debitos fructus non tulerit. Nec refert, *non fuisse tempus ficorum,* ut Marcus notat; non enim parabolæ in omnibus rei significatæ congruunt, sed in eo, quod principalius intenditur: intendebat autem Christus Judæos docere, debere eos omni tempore fructus bonos facere. Ultimum ostendit Dei potentiam in dæmones. Sed fortasse aliæ Christo fuerunt causæ id faciendi; puta, ut lex Moysis de non comedenda carne suilla commendaretur, vel ut dæmonum expulsio signo magis sensibili rudibus iis pastoribus innotesceret: unde etiam factum est, ut illi in civitatem venientes omnia nunciarent.

CXXIX. Quoniam verò miraculum resurrectionis potissimum locum obtinet, & est quasi aliorum sigillum (§. CXII. & P. *Isagog. Theol. dogm.* §. 84.), ad illud convellendum omnes suas machinas *Gazzan. Theol. polem.* U in-

Effugium
contra mi-
raculum re-
surrectionis
J. Ch.

increduli convertunt. Et imo fingunt, Apostolos potuisse in errorem hoc modo induci. Quando Josephus ab Arimathæa, & Nicodemus Christum de cruce deposuerunt, fortasse eum adhuc vivum invenere; latrones enim, qui cum Christo fuerant crucifixi, nondum erant mortui Jo. XIX. 31. & seq., & Pilatus mirabatur, Christum jam obiisse Marc. XV. 44. Joseph ergo, & Nicodemus Christum sepelire simulantes, eum absconditum quam diligentissime curarunt; itaque Christus medicamentorum ope restitutus, & per occultas cœnaculi fores ad discipulos introductus eis redivivus visus est. Neque obest, fuisse lapidem sepulchralem signatum, adhibitosque custodes; ut enim refert S. Matthæus XXVII. 62. nonnisi altera die post pasceven principes Sacerdotum, & Pharisæi a Pilato milites impetrarunt, qui custodirent sepulchrum, sed vacuum (u).

CXXX.

(u) Id totum magis adhuc incredibile est, quam putida illa Judæorum fabula in Rabbinico libro תולדות ישו *Tholdoth Jeshu*, scilicet Judæum quendam corpus Christi clam sepulchro abstulisse. Apostolos autem inde deceptos, cum illud non invenissent, Christum resurrexisse putasse, atque hinc ortam hujus miraculi persuas-

fi-

CXXX. Verumtamen nulla fabula unquam fuit adeo male contexta. Imo enim quis suspicetur, Christum non fuisse mortuum, cum toto inspectante populo exspiraverit, & insuper fuerit latus ejus lancea transfossus? Accedit, quod Pilatus non prius corpus Jesu Josepho concessit, quam cognovisset a Centurione, eum esse jam mortuum Marc. XV. 44. & seq. Præterea quid magis inverisimile, quam Judæorum principes, & Pharisæos sepulchrum signasse, antequam observarent, an Christi cadaver ibi esset? Et si hanc diligentiam incaute præternississent, ecur postea audita fama resurrectionis Christi id non evulgarunt? Cur potius miserabile illud effugium excogita-

Facile præcluditur.

U 2 runt,

tionem & traditionem. Hunc librum latine vertit, & cum refutatione vulgavit J. J. Huldricus Lugd. Bat. 1705. in 8. Ex eo autem Voltairius inficitissimum illum, & blasphemum articulum concinnavit *Jesus, fils de Pandera*. Rabbinica illa commenta etiam refutavit Basnagius in Tom. III. de *l'Histoire des Juifs*. Sed satis mirari non possumus paradoxum Bolingbrockii, qui in suo *Examen important* ch. 8. de eo libro ita pronuntiat: *tout extravagant qu'il est, on est forcé de convenir, qu'il y a des choses beaucoup plus vraisemblables, que dans nos Evangiles.* Vah putidissimum mendacium.

runt, ut data pecunia milites seducerent &c.? Demum quod additur, Christum medicamentorum ope restitutum fuisse clam in cœnaculum introductum, nec responsionem meretur; quomodo enim poterat etiam aliis vicibus eodem modo illudere Apostolis, quando ipsis pluries apparuit, & quando quingentis, & amplius fratribus visus est, ut S. Paulus testatur *I. Corinth. XV. 6 (x)*.

Obiectio ex
antilogiis
Evangelis-
tarum,

CXXXI. Magnam tamen falsitatis suspicionem desumere solent increduli ex antilogiis, quas invenire se jactant inter Evangelistas Christi resurrectionem exponentes. Nam imò observant, Matthæum narrare *XXVIII. 1*. mulieres venisse ad
Chri-

(x) S. Augustinus Lib. I. *de consensu Evangelist.* cap. 25 invenimus, inquit, apud quatuor Evangelistas decies Dominum visum esse ab hominibus post resurrectionem: semel ad monumentum mulieribus: iterum iisdem regredientibus a monumento in itinere: 3tio Petro: 4to duobus euntibus in castellum: 5to pluribus in Jerusalem, ubi non erat Thomas: 6to ubi eum vidit Thomas: 7mo ad mare Tiberiadis: 8vo in monte Galilææ sedentibus Matthæum: 9mo, quod dicit Marcus novissime recumbentibus, quia jam non erat in terra cum illo convivaturi: 10mo in ipso die non jam in terra, sed elevatum in nubem cum in cœlum ascenderet, quod Marcus, & Lucas commemorant, Maldonatus autem in cap. 28. *Matth* tredecim in SS. Litteris apparitiones se invenisse dicit,

Christi sepulchrum *vespere sabbati*, Marcum vero cap. ult. 2. *orto jam sole*, ac demum Joannem XX. 1. *cum adhuc tenebræ essent*. Præterea alia contradictio Matthæum inter, & Marcum in oculos statim incurrit; Matthæus enim mulieres venisse, dicit *vespere sabbati*, quæ lucefcit in prima sabbati; Marcus autem, *cum transisset sabbatum*. 3tio Matthæus refert, Angelum mulieribus Christi resurrectionem nunciasse, Joannes autem oculatus testis nedum id filet, sed Matthæum falsitatis accusare videtur, dicens, Magdalenam, cum Domini corpus non invenisset in monumento, cucurrisse ad Petrum, & Joannem, & lamentabiliter ita fuisse conquestam: *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, ubi posuerunt eum*; quod certe non dixisset, si de resurrectione ejus fuisset ab Angelo edocta. Postremo, si Lucam audiamus, mulieres viderunt *duos viros in veste fulgenti*; si Joannem, *duos Angelos in albis*, si autem Matthæum, nonnisi unus Angelus erat, isque super lapidem sedens; ac denique si Marcum, erat unus juvenis.

CXXXII. Sed leves hæ sunt antilogiæ, quæ substantiam rei tot, tantisque

Explicatur
prima inter
Matthæum,

Marcum, & Joan, argumentis roboratam infirmare nullatenus possent, etiam si veræ essent, & non apparentes tantum: immo ex his colligi deberet, Evangelistas non ex condicito Evangelicam historiam texuisse; quid enim facilius erat, quam leves has discrepantias evitare? Prima autem statim expeditur, observando illa verba Matthæi: *vespere sabbati*, seu ut græcus textus habet ὄψε δε σαββάτων significare in fine sabbati, nempe hebdomadis (nam sabbatum quandoque in Scripturis sumitur pro hebdomade; unde illud Pharisei: *jejuno bis in sabbato*. Luc. XVIII. 12.); quod igitur inquit Matthæus, *vespere sabbati*, idem est, ac *transacito sabbato*. Jam vero quod Marcus dicit, venisse mulieres ad sepulchrum *orto jam sole*, seu ut textus originarius habet, ἐναντίλαυτος τῆ ἡλίου *sole oriente*, facile conciliatur cum Joanne, qui eas venisse dicit, *cum adhuc tenebræ essent*; quando scilicet tenebræ quidem adhuc sunt, incipiunt tamen a sole oriente dissipari. Vel dici potest cum S. Augustino *de consensu Evangelist.* cap. 24, Joannem locutum esse de tempore, quo mulieres a propriis domibus discesserunt, scilicet *cum adhuc tenebræ essent*; Marcum vero de tempore, quo
 ad

ad monumentum pervenerunt, orto jam sole.

CXXXIII. Ex dictis autem in prima responsione tollitur etiam antilogia inter Matthæum, & Marcum, quorum prior dicens: *in vespere sabbati* innuit: *transactio sabbato*; Marcus autem: & *cum transisset sabbatum*.

Tum secunda inter Matthæum, & Marcum.

CXXXIV. Nulla est etiam tertia contradictio, sed totum discrimen in eo est, quod Joannes testis oculatus nonnullas circumstantias describit, quas Matthæus prætermiserat. Matthæus enim omissis iis, quæ antea contigerant, solum memorat, fuisse ab Angelo mulieres de Christi resurrectione certiores factas; Joannes autem, quæ ante Angelorum colloquium contigerant, accuratius exponit; scilicet primo venisse Mariam Magdalene ad sepulchrum, & non invento corpore Domini cucurrisse ad Petrum, & Joannem, ac cum iis de ejusdem sublatione conquestam; discipulis autem abeuntibus ad sepulchrum rediisse. De his omnibus filet Matthæus, & solum narrat, quod sequitur, Mariam Magdalene, quæ desiderio Dominum videndi a sepulchro non recesserat, conspexisse duos Angelos in albis sedentes, a quibus tum ipsa, tum aliæ mu-

Et tertia inter Matthæum, & Joannem.

lieres Christum resurrexisse audierunt. Nulla itaque est Matthæum inter & Joannem contradictio, si quas iste fusius narrat circumstantias, ille omisit.

Ac demum
quarta.

CXXXV. Ultimum adhuc levius est, ut vix responsonem mereatur. Cum enim Angeli non aliter, ac in forma humana apparuerint, potuerunt sine ulla contradictione modo Angeli appellari, ut reipsa erant, modo viri, aut juvenes, ut videbantur. Nec Matthæus, ac Marcus in singulari numero loquentes contradicunt Lucæ, & Joanni, qui duos nominant. Primi enim nonnisi eum memorant, qui mulieribus locutus est; unde Matthæus inquit; *Respondens autem Angelus* (hoc est, sermonem exordiens, ex Hebræorum phrasi); Lucas autem, & Joannes duos memorant, qui præsentibus adstabant. Neque etiam quemquam movet, quod alicubi Angeli dicantur *stare*, alibi *sedere*; stare enim hic non designat corporis situm, sed præsentiam tantum. De his, aliisque similibus antilogiis vid. Mich. Mauduit *Analyse de l'Évangile* Tom. IV. Sec. edit. Differt. 37.

Aliæ obiectio-
nes contra
resurrectionem
Christi.

CXXXVI. Pergunt increduli, & testium resurrectionis Christi auctoritatem imminuere conantur. Sunt enim, in-
qui-

quiunt, sc̄eminæ natura supersticiisæ, & facile credulæ, quibus nec Apostolos ipsos fidem adhibuisse notat S. Lucas XXIV. 11: sunt duo discipuli, qui euntes in castellum Emmaus Christum secum confabulantem minime noscunt: sunt quidem & alii discipuli, qui tamen *conturbati, & conterriti, existimabant se spiritum videre* Lucæ XXIV; immo nec resurrectionem ipsam credebant, quorum propterea incredulitatem Christus exprobrasse dicitur Marc. ult. 14; & S. Lucas XXIV. 41. narrat, Apostolos adhuc non credidisse, postquam Christus ostenderit eis manus, & pedes. Accedit, neminem scriptorum sacrorum nobis indigitare, ubinam Christus post resurrectionem suam usque ad ascensionem in cœlum fuerit commoratus.

CXXXVII. Nodum in scirpo quærunt, Solvantur.
 qui ad veritatem resurrectionis Christi labefactandam eos duntaxat testes, easque apparitiones in examen vocant, in quibus aliquid dubii esse potest, iis omis-
 sis, quæ hanc veritatem ita aperte confirmant, ut nulla prorsus falsitatis suspicio, aut umbra relinquatur. Cur enim dissimulant eas apparitiones, quæ omnibus simul congregatis factæ sunt? Cur Thomæ Apostoli testimonium, qui neque

oculis fidens, neque auribus, ipsa Christi vulnera contrectare voluit? Cur denique tacent, Apostolis ita fuisse de Christi resurrectione persuasum, ut mortem oppetere maluerint, quam eam non prædicare? His argumentis corroboratur etiam fides fœminarum, atque aliorum testium, ut nullus amplius sit dubitandi locus; quamquam ubi agitur de re, quæ in sensus cadit, fœminæ non minus, quam viri, testimonium perhibere possunt. Porro, ut ait S. Thomas III. P. Quæst. 55. art. 3, incognitum est, quibus in locis post resurrectionem suam Christus corporaliter esset, cum hoc Scriptura non tradat; sed ad veritatem resurrectionis manifestandam sufficit, eum pluries discipulis apparuisse, cum eis familiariter fuisse locutum, comedisse, & bibisse, & se eis palpatum præbuisse.

Exploditur
quædam ca-
villatio.

CXXXVIII. Sed cur Magdalenzæ dixit Christus Jo. XX. 17. *noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, post autem Luc. XXIV. 39. Apostolos invitavit, ut *palparent, & viderent, quia spiritus carnem, & ossa non habet*? Resp. horum verborum: *noli me tangere* &c. hunc sensum esse, noli diutius pedibus meis hære, quia adhuc
tem-

tempus est, quo mea præsentia fruaris, antequam ad Patrem meum ascendam; sed vade ad Apostolos meam resurrectionem nuncians (y).

CXXXIX. Demum moleste sciscitantur, cur Christus nonnisi Apostolis, & discipulis, non autem Scribis, & Pharisæis apparuerit? Una apparitio facta Judæis, inquit Voltairius, majorem habuisset efficaciam, quam omnia testimonia Apostolorum. Resp. non facile indagari posse inscrutabilia judicia Dei. Voluit Christus manifestus fieri *non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo*, ut inquitbat S. Petrus Act. X. 41: sufficit, eum suam resurrectionem ita comprobasse, ut nemo prudens de illa ambigere possit; non autem requirebatur, ut omnes ad eam credendam evidentiz necessitate quasi cogerentur. Dicitur etiam potest, principes Sacerdotum, aliosque Judæos per-

Cur Christus & Judæis non apparuerit

(y) Ridicula est, ut mitius loquar, hæc Hardouin interpretatio: *noli me tangere, quippe adhuc aromatis madidum, quibus me perunxerunt Josephus, & Nicodemus: nondum enim ascendi ad Patrem meum, qui in cælis est: nondum accepi corpus spirituale, quod ibi accepturus sum a Patre meo.* Vid. M Gaultier *Lettres Theologiques - - - contre le système impie des PP. Beruyer & Hardouin* Tom. III.

pertinaci sua incredulitate promeritos fuisse, ut Christum redivivum non viderent. Sed quidquid sit, certum non tollitur per incertum.

Vasleinium
resurrect. J.
C. ad amuf-
sim imple-
tum fuit.

CXL. Cum inter alias Christi prophetias, quibus divina ejus missio in *P. Isa-gog. Theol. dogm. §. 89.* probata est, insignis illa sit, qua suam passionem, mortem, ac resurrectionem prædixit, contra eam cavillantur increduli, quod ad amuffim impleta non fuerit; prædixerat enim Christus, se futurum in corde terræ *tribus diebus, & tribus noctibus,* & post tres dies resurrecturum Matth. XII. 40, & Marci VIII. 31. quod tamen non accidisse ex Historia Evangelica constat.

Quomodo?

CXLI. Sed nihil impedit, quo minus triduum hic accipiatur pro tribus diebus incompletis; unde etiam Lucæ XXIV. 7. Christus prædixit: *oportet, filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere:* quod reipsa factum est; nam sepulchro traditus fuit die parasceves, in eo mansit tota die sabbati, & nonnisi die dominica resurrexit. Habemus ergo tres dies; & etiam possumus tres noctes designare, si noctem non accipiamus a te-
ne-

nebris vesperarum, usque ad diluculum matutinum, sed computando more Ecclesie non insolito unam diem a media nocte præcedente usque ad mediam noctem subsequenter; tunc enim a sepultura Christi usque ad mediam noctem parasceves computatur una dies, & una nox incompleta; ab altera media nocte parasceves usque ad mediam noctem sabbati habemus unam diem, & unam noctem completam; ac demum a media nocte sabbati usque ad tempus resurrectionis die dominica tertiam diem, & noctem incompletam. Quamquam dici etiam potest, hic diem, & noctem sumi ad denotandum diem naturalem, non ad significandas illas duas partes, quæ diem naturalem constituunt (z).

CXLII. Ceterum præter hanc prophetiam multas alias edidit Christus Dominus, claras, & apertas, quas opere adimpletas fuisse negare nemo potest; apertissima certe illa est, quæ legitur Matth.

Aliud vaticinium dispersionis Judæorum, & vocacionis gentilium.

XXI.

(z) Has, & alias incredulorum objectiones latius propositas, & copiosius solutas videre poterit, qui cupit, in egregio libello, cui titulus: *Les Temoins de la Resurrection de Jesus Christ examinés, & jugés selon les regles du Barreau*, tum apud Houtteville, *La Religion chretienne prouvée par les faits.*

XXI. 33. & seq., ubi post parabolam impiorum agricolarum, qui servos Patrisfamilias aut occiderunt, aut lapidaverunt, immo & ipsum ejusdem fillum ejectum extra vineam interemerunt (quibus nominibus significantur Prophetæ, & ipse filius Dei a Judæis occisi) ita concludit: *malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis . . . auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Quod adhuc expressius prædixerat Matth. VIII. II: *multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cælorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* In hac prophetia, ut Bossuetus observat *Discours sur l'Hist. univers.* P. II. ch. 29, tria concurrunt notatû digna, Judæorum reprobatio, & dispersio, Gentilium conversio, & utriusque eventus epocha in ima Evangelii prædicatione; quæ tria esse eventu confirmata, cæcus est, qui non videat.

Vaticinium
ruinæ Jeru-
salem.

CXLIII. Nec omittendum postremo est celebre illud, & perspicuum vaticinium, quo Christus Dominus everisionem Jerusalem, & irreparabilem templi ruinam prædixit Matthæi XXIV, Marc.

XIII,

XIII, & Lucæ XXI, quodque in omnibus suis circumstantiis adimpletum fuisse observavimus in *P. Isagog. Theol. dogm.* §. 89. Sed contra illud cavillantur increduli, quasi Christus ruinæ templi conjunxerit etiam finem mundi, atque adeo ejus prophetia omnino vera non fuerit. Oportet tamen observare cum doctiss. Bossueto (*Meditat. sur l'Evang. 66. Jour, & sequ.*) hæc duo videri conjuncta, quia Apostoli de utroque interrogarunt Jesum Christum: *dic nobis quando hæc erunt* (scilicet subversio Jerusalem, & ruina templi) *& quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* Christum vero utrumque separasse; & excidii Jerosolymitani hoc posuisse signum: *cum videritis abominationem desolationis &c.* id est idola, quæ in vexillis Romanis depicta erant; quod idem est, ac dicere, cum arma Romana appropinquare videritis (a). Signa autem consummationis sæculi, seu
 finis

(a) Bossuetus ex Flavio Josepho notat, consuevisse Romanos, cum Judæam pertransibant, vexilla deponere, ne terram illam sanctam suis idolis contaminarent; tunc autem primo extensis vexillis in eam intraffe, & hanc esse *abominationem* a Christo prædictam. Sed legendus esset Bossuetus ipse; ex eo enim non nisi pauca brevitate gratia afferre potuimus.

finis mundi hæc posuit: *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur: & tunc parebit signum filii hominis in cælo &c.* Prima ergo vaticinii pars completa fuit, altera suo tempore complebitur. Neque verum est, Apostolis fuisse persuasum, simul cum destructione Jerusalem finem mundi futurum (quod nobis Freretus objicit). Immo potius cum S. Paulus hanc opinionem quibusdam fidelibus insedisse animadverteret, in IIa Epist. ad Thessal. II. eam ut falsam explodit. Et quando S. Joannes Epist. I. cap. II. 18. dicit, *novissimam horam esse &c.*, non de fine mundi, sed de ultima ipsius ætate intelligendus est.

Miracula
Christi in
sensu alle-
gorico.

CXLIV. Antequam a tabula manum amoveamus, breviter etiam refutandum est singulare aliquod Spinozæ, & Woolstoni inventum; qui putarunt posse omnia miracula Christi allegorico sensu explicari, ut nempe cæcos illuminaverit, cum homines veritatem docuit, infirmos sanaverit, mortuosque suscitaverit, cum eos a spiritualibus morbis, vel morte liberavit. Reipsa SS. Patres non pauci, atque

que inter alios Origenes hæc in sensu allegorico sæpius usurparunt.

CXLV. Nihil tamen magis a veritate Explicari non posse ostenditur.
 Evangelica alienum excogitari poterat. Quomodo enim Judæi Christum calumniati fuissent, eum in Beelzebub principe dæmoniorum prodigia operari, si reipsa nulla fuisset operatus? Quomodo allegorice intelligi poterit miraculum illud de multiplicatione panis, & piscium? Ita enim Christus discipulos interrogabat Marc. VIII. 19. & sequ.: *quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum sustulistis? Dicunt ei, duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: septem.* Hæc ne allegorice intelligi poterunt? Et, ut sexcenta alia omittam, quænam absurditas est, mystice explicare Christi resurrectionem, quando expresse dicitur, non fuisse inventum corpus ejus in sepulchro, sed solum linteamina, quibus fuerat involutum; apparuisse illum sæpius discipulis; cum eis fuisse per 40. dies conversatum; cum eis comedisse; eis denique dedisse carnem suam ad palpandum?

Quod amplius confirmatur auctorit. SS. Gregorii & Quadrati.

CXLVI. Quando autem SS. Patres quædam miracula Christi mystice interpretantur, non propterea historicam eorum veritatem negant. Instar omnium fit S. Gregorius M., qui in *Hom. XI. in Evangelia* hæc habet: *miracula Domini, & salvatoris nostri sic accipienda sunt, ut & in veritate credantur facta, & tamen per significationem nobis aliquid innuant; opera quippe ejus, & per potentiam aliud ostendunt, & per mysterium aliud loquuntur.* Ceterum adeo antiquis Patribus de historica miraculorum veritate persuasum erat, ut Quadratus, præclarus ille *Apostolorum discipulus, & prophetiæ gratia illustris* (ut eum vocant S. Hieronymus in *Catalogo, & Eusebius Lib. III. Hist. Eccl. cap. 37*) in sua Apologia, quam Hadriano an. 126, vel 131. obtulit, dicere non dubitaverit, eos, qui a Servatore nostro aut morbis liberati, aut ex morte ad vitam revocati fuerant, secuto deinceps tempore etiam post ejus discessum diu superstites fuisse, *adeo ut, inquiebat, nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint,* apud Eusebium *Lib. IV. Hist. Eccl. cap. 3. (b).* CA-

(b) Nihil diximus de illo potissimo Deistarum argumen-

C A P U T VII.

Breviter exponuntur nonnulli alii caracteres divinæ revelationis per D. N. J. C. manifestatæ.

CXLVII. **Q**uoniam de sanctitate doctrinæ christianæ, ejusque mirabili propagatione, necnon de multitudine Martyrum, qui eam proprio sanguine confirmarunt (qui veræ revelationis characteres sunt) jam diximus in *P. Isagog. Theol. dogm. §. XC. & seq;* hic nonnisi pauca addemus de propagata, & conservata miraculorum potestate in Apostolis, eorumque successoribus. Hanc Christus ipse promiserat *Jo. XIV. 12. qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet; & Marc. XVI. 17, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis . . . super agros manus imponent, & bene habebunt*

De miraculis Apostolorum.

X 2 bebunt

mento, quo fidem miraculorum Christi elevare nituntur, ea conferendo cum falsorum Numinum, Vespasiani, Apollonii Tyanæi, aliorumque impostorum prodigiis; quia inferius opportunior erit de iis dicendi locus, cum sect. sequenti polytheismum data opera refutabimus.

bebunt. Hanc autem Christi prædictionem fuisse adimpletam asserit ipse S. Marcus in fine sui Evangelii de Apostolis inquiring: *illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Id ipsum testantur ea multa miracula, quæ leguntur in Act. Apost. præcipue vero cap. II, ubi describitur donum linguarum Apostolis impertitum; cap. III, ubi Petrus in nomine J. Ch. Nazareni claudum sanavit præfente omni populo; cap. V, in quo multa Petri, aliorumque Apostolorum signa, & prodigia referuntur; cap. IX, ubi Petrus Lyddæ sanat Æneam paralyticum, & in Jobbe Tabitham resuscitat; cap. XII, ubi Petrus ab Angelo vinculis solutis liberatur; cap. XIII, ubi Paulus Elymam magum excæcat; cap. XIV, ubi Paulus claudum ab utero matris curat; cap. XX, ubi Paulus Troade Eutychem adolescentem vitæ restituit; cap. XXVII, ubi Paulus exorta tempestate prædicit, nullius animæ amissionem futuram, sed solum navis, quia Deus ipsi donaverat omnes, qui secum navigabant.

Potissimum
de conver-
sione S.
Pauli.

CXLVIII. Multa alia prætereo brevitate causa, sed prætermitti non potest insignis illa, & miraculosa Pauli conversio, quæ

quæ describitur Act. IX, cum scilicet spirans minarum, & cædis in discipulos Domini Damascum pergebat, ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, victos perduceret in Jerusalem. Cum autem iter faceret, subito circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ipsi autem interroganti: *quis es Domine?* responsum fuit: *ego sum Jesus, quem tu persequeris.* Pergit facer textus describere, quomodo Saulus de terra surgens nihil videbat; quomodo jussus est adire Ananiam, & quomodo ab ipso visum recepit, & baptizatus est; ac demum quomodo factus vas electionis in Synagogis prædicabat Jesum, stupentibus omnibus de tam improvisa, & mirabili mutatione. Porro ingenium acuant increduli, quantum volunt, atque hujus conversionis naturales exquirant causas, nemini cordato persuadere poterunt, eam sine miraculo factam fuisse. Imo enim eandem exponit ipse S. Paulus Act. XXII, cui non video, cur fides denegari debeat: 2do S. Paulus non ex infima plebe erat, aut idiota, sed civis Romanus, & legis Doctor, quem proinde decipi facile potuisse in hoc miraculo suspi-

326 *De miraculis post Christi ascens.*

candum non est: 3tio non erat præjudiciis, aut studio partium præoccupatus, immo Religionis christianæ infensissimus hostis: demum adeo fuit prodigiosa hac apparitione de veritate doctrinæ Christi convictus, ut postea ab ea ubique prædicanda nec laboribus, nec persecutionibus, nec flagellis, nec carcere, nec ultimo denique supplicio absterreri unquam potuerit. Vir etiam fuit moribus sanctissimis, non pecuniæ cupidus, non ambitione elatus, non otio deditus, non denique alio quovis vel minimo vitio coinquinatus; adeo ut ejus accusatores nihil aliud ipsi exprobrare potuerint, nisi quod religionem christianam ubique annuntiaret. Si ejusmodi viro in talibus rerum circumstantiis miraculum suæ conversionis narranti non credimus, nescio, cui alteri credendum erit.

De miraculis sancto-
rum tempo-
poribus
subsequen-
tibus.

CXLIX. Ab aliis etiam Apostolis plura fuisse perpetrata prodigia, dubitandum non est, quamvis de eorum actis admodum pauca supersint vetusta historiæ monumenta, quia primi fideles in sævissimis illis persecutionibus vix scribendi otium habebant, multaque eorum, quæ litteris tradita erant, partim persecutorum vi, partim etiam temporum injuria perierunt.

Mira-

Miracula tamen in Ecclesia etiam post mortem Apostolorum perseverasse, confirmatur plurium sanctorum Patrum testimonio, quos vel deceptos fuisse, vel alios decipere voluisse suspicari non fuit nota ipsorum prudentia, & doctrina. S. Irenæus Lib. II. *contra Hæres.* cap. 32. refert, sua ætate alios dæmonia eiecisse, alios præscientiam habuisse futurorum, alios per manus impositionem curasse infirmos, immo & mortuos suscitasse, qui, inquit S. P., & *perseveraverunt nobiscum annis multis.* Idem testatur Origenes in *Joan.* pag. 328; idemque nonnulli alii. Notum præterea est, vitam S. Gregorii Neocæsareensis sec. III. fuisse quasi seriem non interruptam miraculorum, unde etiam *Thaumaturgus* fuit appellatus. Atque ne infinitus sim, ea referre sufficiet, quæ S. Augustinus oculatus testis de miraculis narrat, quæ facta sunt in translatione Sanctorum Protasii, & Gervasii Mediolanensium Martyrum. *Ibi eram, inquit, Mediolani eram, facta miracula novi cæcus notissimus universe civitati illuminatus est nondum audivimus, quod obierit, forte adhuc vivit: in ipsa eorum basilica, ubi sunt eorum corpora, totam vitam suam servitutum se esse devovit.*

Nos illum gavisi sumus videntem, reliquimus servientem. Ita habet in Serm. 286 (c) Multo plura refert de miraculis a se visis in Lib. XXII. *de civit. Dei* cap. 8.

Non omnia
credenda
sunt.

CL. Non is ego sum, qui affirmare ausifim, omnia, quæ in vetustis scriptoribus, immo etiam SS. Patribus inveniuntur miracula, ita certa esse, ut piaculum sit de iis dubitare. Melchior Canus Lib. XI. *de locis Theol.* cap. 6. Theologum admonendum putabat, *ne id statim illi persuasum sit, omnia, quæ magni Auctores scripserint, undique esse perfectæ; nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt* (d). Quando tamen SS. Pa-
tres,

(c) Auctor *Encyclopediæ Jverdunensis* Tom. XXVI. art. *miracles* horum miraculorum authenticam solide demonstrat; eaque patrata fuisse fatetur in testimonium *veritatis, & sanctitatis reliquiarum*; quæ confessio ab homine heterodoxo vix expectari poterat; sed eam, ut puto, veritatis evidentiâ extorsit.

(d) Addit autem, hæc de Beda, atque Gregorio jure fortasse, ac vere dicere se posse; quorum ille in *Hist. Anglorum*, hic in *Dialogis* quædam miracula scribunt vulgo jactata, & credita, quæ hujus præsertim sæculi aristarchi incerta esse censebunt. Subdit tamen: *sed quoniam modeste, & circumspexto judicio de tantis viris promuntiandum est, ne in his quidem duobus rejicienda sunt plurima; pauca enim in eis*
pos-

tres, vel alii prudentes, ac sobrii scriptores ea narrant, quorum testes ipsi fuerunt, quis nisi scepticus eis fidem denegabit?

CLI. Scio præterea, fuisse omni tempore plurima falsa miracula *pia fraude*, ut dici solet, conficta, quibus non pauci *nostrorum scriptorum* libri referti sunt; *quæ res*, inquebat laud. Melchior Canus, *impiis quidem non levem subsannandi occasionem præbet, piis vero lachrymandi*. Non tamen propterea omnia confundi debent, & simul cum falsis etiam vera abjicienda. Optimum erit, ut puto, tres miraculorum classes distinguere; nam aliqua attentis omnibus circumstantiis ita cer-

Miraculorum variæ classes.

X 5 ta

possis arguere, quamvis historiam ecclesiasticam revocare ad severiora judicia contendas: ac si necesse est in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari malo. Non ita modeste sentit de aliis scriptoribus, qui sanctorum vitas commentis, fabulisque contaminarunt, ut dolendum sit, multo severius a Laertio vitas Philosopherum scriptas, quam a Christianis vitas Sanctorum; quo in numero præcipue recenset auctores librorum, qui *speculum exemplorum, & legenda aurea* nominantur; *in illo enim*, inquit, *miraculorum monstra sæpius, quam vera miracula legas; hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi, & prudentis*. Totum illud cap. VI. legi meletur, in quo accurate discutit, qui sint probatæ fidei auctores, qui contra non sint.

ta sunt, ut nequeant sine maxima temeritate negari. Rursus alia ita falsa apparent, ut plane stultitia sit, iis vel minimam fidem adhibere. Inter has autem duas classes intermedia quasi sunt multo plura miracula, de quibus vir prudens iudicium suspendet, ut nec temere illa recipiat, nec rursus temere eadem repudiet. Id tamen certum videtur, vix tot, & tanta miracula fingi potuisse, nisi aliqua vera existissent; quemadmodum nemo de falsis, & adulterinis nummis cudendis cogitasset, nisi multi essent genuini.

Decretum
Conc. Trident.
de
miraculis.

CLII. Concilium Trident. Sess. XXV. *de invocat., venerat., & Reliq. Sanctorum* sapientissime decrevit, *nulla admit-
tenda esse nova miracula, nisi recogno-
scente, & approbante Episcopo, qui si-
mul atque de iis aliquid compertum ha-
buerit, adhibitis in consilium Theologis,
& aliis piis viris ea faciat, quæ veritati,
& pietati consentanea iudicaverit. Immo
jubet, ut si de huiusmodi rebus (videli-
cet non solum de miraculis novis, sed
etiam de insolitis imaginibus, ac novis re-
liquiis) gravior questio incidat, Episco-
pus, antequam controversiam dirimat,
Metropolitani, & comprovincialium Epi-
scoporum in concilio provinciali senten-
tiam*

tiam expectet, ita tamen, ut nihil inconsulto sanctiss. Rom. Pont. novum, aut in Ecclesia hæctenus inusitatum decernatur. Quid autem in Ecclesia catholica fieri soleat ad probanda nova Sanctorum miracula, egregie pro more suo exponit Bened. XIV. in opere *de Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione* Lib. IV. P. I.

CLIII. Ex his patet, frustra quosdam A catholicos Ecclesiæ Romanæ exprobare tot, & tanta miracula aut plane falsa, & ridicula, aut saltem dubia, minimeque probata, quæ ab aliquibus minus caute creduntur, & propalantur. Peccant hi contra regulas §. XII, & XV. in *Prolegom.* propositas. Hæc non Ecclesiæ, sed heteroclitæ quorundam credulitati ex mox dictis tribuenda sunt. Qua in re intolerabilis plane est Phileleutherus Helvetius, qui in *Lib. de miraculis* solerter exquisivit, quidquid minus solide, immo plane inficete a quibusdam nostris auctoribus de miraculis scriptum fuit, idque non privatis illis scriptoribus, sed plane Ecclesiæ Romanæ per calumniam attribuit; cum tamen non ignoraverit, non paucos sanioris criticæ Theologos (inter quos idem auctor laudat Melchiorem Canum, & Ludovi-

Refellitur
Phileleu-
therus Hel-
vetius,

dovicum Vives) hæc omnia improbare. Longum nimis esset, omnes hujus hominis calumnias exponere, & refutare. (a)

CA-

-
- (e) Instituit hic auctor comparisonem inter miracula Pythagoræ, & Apollonii Tyanensis, & miracula SS. Francisci, Dominici, & Ignatii Lojolæ, & omnia lectorum risui exponit; ut autem id facilius obtineat, undequaque corradit, quidquid de iis apud ineptissimos Scriptores invenire potuit; immo plerumque iis utitur libris, qui apostolica censura jure, meritoque proscripti jam fuerant, ut sunt ex. gr. *Alcoranus Franciscanorum* prohibitus in *Indice Tridentino*, Opera Petri de Alva, & Astorga prohibita 24. Novemb. 1655, aliaque hujus furfuris; & dubia certis, falsa veris ubique commiscet. Regula autem generalis, qua utitur ad omnia nostra miracula explodenda, hæc est, quia fiunt in Ecclesia Romana, quæ erroribus, superstitionibus, atque idololatria tota polluta est. *Quodsi igitur*, inquit in *Præfat.* pag. XLV., *impedire volunt, quominus inania illa commenta rideamus, dicant nobis imposterum, quid tandem sit transubstantiatio, quæ tot mirabiles effectus edit; probent, Deum per sanctissimam suam naturam efficere posse, ut miraculo idololatria stabilietur, & ritus ineptissimi confirmentur &c;* quasi vero demonstratum jam fuerit, Ecclesiam Romanam esse *synagogam Satanae*, in qua nulla miracula fieri possint. Eum quidem non pudet dicere, id *millies* ostensum am fuisse; at si ingenuus, & sincerus, ut videri vult, reipsa esset, reticere non debuisset, *millies* etiam a nostris fuisse responsum, ac plane demonstratum, nostra dogmata semper

C A P U T VIII

Solvuntur Incredulorum objectiones contra ceteras Divinæ N. T. revelationis notas.

CLIV. **P**ræter recensitas hætenus notas, quibus Divinam doctrinæ Christi revelationem demonstravimus, nonnullæ aliæ sunt, quæ simul collectæ magnam habent ad eam confirmandam efficaciam. Hujusmodi sunt *1mo*, quod omnes veræ Religionis, veritates fuerint multo clarius propositæ, quam antea; immo quod nonnulla nobis fuerint manifesta, quæ veteres Philosophos omnino latuerunt. *2do* quod abolita veteri superstitione, quæ omnium animos occupaverat, mores hominum, ubicunque lux Evangelica resplenduit, fuerint reformati. *3tio* sanctitas doctrinæ a Jesu Christo promulgatæ. *4to* Martyrum in eadem doctrina profitenda constantia; ac demum mirabilis

Aliæ divinæ revelationis notæ.

per fuisse in ea Ecclesia, quæ Christi, Apostolorum, aliorumque plurium sanctorum miraculis fuit confirmata. Sed sufficiat hoc specimen earum ineptiarum, & calumniarum, quæ sine stomacho legi non possunt.

lis ejusdem toto terrarum orbe diffusio. Sed non ita pridem D. Freret in pestilentissimo suo libro *Examen critique des Apologistes de la Religion chrétienne* 1767. has notas infirmare multis argumentis conatus est, quorum potissima huc referre, ac refellere operæ pretium ducimus.

Frereti objectio, quod Christus nihil novi docuerit.

CLV. Quantum ad notitiam veritatum Religionis observat *1mo*, omnibus fuisse communem, ac pene insitam divinitatis notionem: *2do* multis & excellentioribus Philosophis persuasum fuisse, Deum esse ἀσώματον, unum, immutabilem, æternum, immortalem, omniscium, omnipotentem, bonum, omniumque rerum curam habentem: *3tio* plerosque Philosophos animi nostri spiritualitatem, immortalitatem, ac libertatem agnovisse: *4to* etiam legem æternam, quæ sit actionum nostrarum regula, fuisse a non paucis admittam. Multa demum congerit, ut ostendat, non ignorasse veteres Philosophos, qualis Deo cultus debeatur, qui scilicet in puro ipsius amore consistat, & qualem etiam erga proximos caritatem fovere, & exercere debeamus; vetitum esse mentiri, & multo magis pejerare; vetitum item injurias ulcisci; casta placere superis, conjugalem fide-

fidelitatem maxime commendandam, vitandam vero omnem effrenatam libidinem, & hujus generis alia. Qua in re nos ad Sinenfes, Japonenfes, & Siamenfes remittit, quorum leges morales magnis laudibus extollit; ac concludit cum Celso apud Origenem, Philofophos multo melius, & clarius de virtutibus moralibus difputaffe, quam Chriftianos.

CLVI. At vero primo in oculos omnium incurrit, quantum Freretus a ceteris incredulis differat, qui, ut oftendant, præcipua Religionis noftræ dogmata abfurda effe, turbas veterum Philofophorum excitare folent, nosque eorum auctoritate obruere conantur. Sic Bælius in *Continuat. cogitationum de Cometis* feftas integras Philofophorum, qui atheifmum profeffi funt, nobis opponit: cui confonat Voltairius in *Dictionn. Philofoph.* art. *Athées*. Auctor *Philofophiæ boni fenfus* nullam fuiiffe contendit apud veteres juftam, veramque divinitatis notionem, nec alium eos cognoviffe Deum, nifi corporeum; ac potiori jure corporeum effe noftrum animum credidiffe.

Refellitur
teftimonio
aliorum In-
credulo-
rum.

CLVII. Sed præterea, ut cum Frereto cominus congregiamur, illi haud ægre concedimus, fuiiffe nonnullas veritates, tam
theo-

Tum etiam
ipfa rei
veritate.

theoreticas, quam practicas, a veteribus Philosophis detectas, five naturalis rationis vi, five etiam accedentibus nonnullis vetustæ revelationis principiis, quorum traditio aboleri omnino nunquam potuit. Si tamen Freretus ingenue nobiscum agere velit, non diffitebitur *Imo*, has veritates fuisse perpaucis cognitatas, a multo autem pluribus ignoratas; post factam vero Jesu Christi revelationem omnibus cujusque sexus, ætatis, aut conditionis esse plane perspectas. *2do* inter ipsos Philosophos fuisse de istis veritatibus acriter disputatum; & ita quidem, ut non solum alii aliis, sed non raro ipsi sibi ipsis contradicerent; unde multi occasionem arripuerunt, Pyrrhonismum in religionem invehendi: plena igitur de his dogmatibus certitudo non nisi revelationi debetur. *3tio* has ipsas veritates densis errorum, ac fabularum nebulis involvisse, & obscurasse, ut non male pronuntiaverit Cicero Lib. II. de *Divinat. nihil tam absurde dici posse, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum.* Demum multas veritates fuisse divina revelatione manifestatas tum de Dei essentia, & attributis, tum de hominis corruptione, ejusque remediis, de peccatorum expiatione, de externo Dei
cul-

cultu, de qualitate, & duratione retributionis in altera vita, & de innumeris aliis, quæ veteres aut ignorarunt penitus, aut vix suspicati sunt.

CLVIII. Objicit Freretus testimonium Lactantii, qui Lib. VII. *Divin. Instit.* cap. 7. *si extitisset aliquis, inquit, qui veritatem per singulos, perque sectas Philosophorum diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis Christianis Nam particulatim veritas ab his tota comprehensa est. Sed imo dissimulat, quod idem Lactantius subdit: hoc nemo facere, nisi jam veri peritus, & sciens poterat: verum autem nonnisi ejus scire est, qui sit doctus a Deo.* Deinde nonnisi de præcipuis Religionis capitibus sermonem habet, quæ ibidem recenset, non autem de omnibus, quæ scitu necessaria sunt.

Solvitur
alia Frere-
ti objectio.

CLIX. Otium nobis non est, ethicam Sinensium, Japonensium, Siamensium, aliorumque populorum ad examen vocandi; verumtamen observare sufficiat, eos omnes toto ostio aberrare in primo ejus præcepto, quo jubemur uni summo Deo debitum cultum exhibere. Constat enim, has nationes esse turpi idololatria, & detestandis superstitionibus inquinatas; & quid-
Gazzan. Theol. pol. Y quid

Quid de
Ethica In-
fidelium
dicendum?

quid contra aliqui dixerunt, fatis minime est ad hujusmodi Æthiopes lavandos. Præcipuæ illorum populorum leges ad politicam imperii rationem, potius quam ad vera hominis erga Deum officia directæ esse videntur. Plura dabit cupientibus Jac. Bruckerus Tom. IV, P. altera *Hist. crit. Philos.*, ubi de philosophia Sinensium, & Japonensium agit: apud quem etiam alii auctores inveniuntur, qui de hac materia fusius scripserunt. Et hæc de primo argumento fatis.

Objectio
contra re-
formatio-
nem mo-
rum per Je-
su Christi
doctrinam.

CLX. Videamus nunc, quæ Freretus affert, ut ostendat, lege Evangelica non fuisse homines ad meliorem frugem conversos. Primo autem concedit, quod nimia evidentia coactus negare non potest, Christianos priorum sæculorum, sævientibus persecutionibus, fuisse optimis moribus instructos (vid. in P. *Isagog.* §. 92) sed id omnibus sectis commune esse contendit, quando persecutionibus opprimuntur. Post autem magna eruditionis pompa omnia mala describit, quæ in religione Christiana sequentibus temporibus grassata sunt, schismata, hæreses, bella civilia, seditiones, rebelliones &c., eaque atris coloribus depingit, ut Christianos
pejo-

pejores barbaris, & infidelibus, ac monstra plane fuisse concludat.

CLXI. Nihil plane facilius est homini Solvitur. erudito, & dicendi phaleris instructo, quam hæc omnia ex variis auctoribus, imprimis autem Bællø omnium incredulorum promptuario colligere, & amplificare; sed nihil etiam iniquius, quam silentio prætermittis virtutibus, quæ in nostra Religione omni tempore floruerunt, vitia solummodo ob oculos ponere, quod post Freretum, facit Voltairius in *Diction. Philos.*, aliisque impiis suis operibus. Sed Freretus minime ferendus est, ubi primo contendit, virtutes Christianorum in aureis illis Ecclesiæ nascentis sæculis ex Tyrannorum persecutionibus fuisse ortas: immo ex Historia Eccl. potius patet, ex earundem persecutionum vehementia multos infami apostasia a fide descivisse, & credibile etiam est, si duntaxat humanas vires consideremus, multos a Religione Christiana amplectenda fuisse eadem de causa absteritos: Nonnisi igitur divinæ gratiæ efficacia fieri potuit, ut tam multi nostræ Religioni nomen darent, in eaque omni virtutum genere splenderent, ac spreitis terroribus mortis constanter perseverarent. Fallitur ulterius, & fallit Fre-

retus, cum addit, omnibus Sectis commune esse, ut initio honestate morum se commendabiles reddant. Id plane non contigit in Donatistis, & Circumcellionibus, quorum scelera vix sine horrore legi possunt. Id ipsum non apparuit in Albigensibus; & ut ad tempora nobis propiora accedamus, notæ sunt rebelliones Hussitarum in Bohemia, tumultus Protestantium, Anabaptistarum, Davidicorum, aliorumque fanaticorum in Germania, turbæ Quackerorum in Anglia, & atrocissima bella civilia Calvinistarum in Gallia: non igitur &c.

Prosecutio
solutionis.

CLXII. Mala autem, quæ diversis temporibus etiam inter Christianos exorta fuere, nihil prorsus sanctitati nostræ Religionis derogant, utpote quæ ea semper detestata fuit, atque impedire pro viribus suis curavit. Ceterum si rebus æqua lance perpenſis, hæc mala cum iis conferamus, quæ ante Religionem Christianam totum terrarum orbem innundaverant, procul dubio apparebit, fuisse homines multo meliores lege Evangelica effectos. Imo enim, quæ ubique regnabat idololatria, & superstitio abolita fuit, atque in ejus locum verus, & sanctus Dei cultus invecſus, quod certe in maximis bonis

na-

numerari debet. 2do una cum superstitione lege Christiana vetita sunt suicidia, vindictæ, usuræ, fornicationes, aliaque hujusmodi vitia, quæ impune inter gentes olim grassabantur. Sufficit legere cap. I. Epist. S. Pauli ad Romanos, ut appareat, quibus execrandis vitiis esset cæca gentilitas contaminata: nec minora referunt Clemens Alexandrinus, Minutius Felix, Tertullianus, Arnobius, Eusebius, Lactantius, ac potissimum Augustinus in Libris de Civitate Dei. 3tio ab Ecclesiæ exordio usque ad nostra tempora semper floruerunt eximii sanctitate viri, quorum similes nullatenus inter Gentiles reperiemus.

- CLXIII. Restat, ut futes quasdam Deistarum objectiones contra sanctitatem doctrinæ Christianæ, quam in P. Isag. §. 90 & seq. notam divinæ ejus revelationis esse statuimus, nunc proponamus, & refellamus. Et primum Religionem nostram calumniantur, quasi ignorantiam suis asseclis non minus, quam Alcoranus Mahumetanis præcipiat, dum eis præcipit in captivitatem redigere intellectum in obsequium fidei, II. Corinth. X. 5., & fugiendam esse scientiam, quæ inflat I. Corinth. VIII. 1. Ut hæc calumnia dispungatur, satis esset nomina eorum recensere, qui Ecclesiam non mi-

Doctrina
J. C. non
præcipit
ignorantiam.

nus doctrinæ, quam pietatis fama illustrarunt, Gregoriorum, Basilii, Athanasii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Thomæ Aquinatis, aliorumque sexcentorum, qui Evangelica lege minime vetitum esse omnis generis scientias excolere suo exemplo demonstrarunt. Nihil igitur aliud nobis jubetur, nisi *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* Rom. XII. 3; & scientiæ conjungendam esse caritatem, quæ ædificat.

Nec prohibet voluptates hominis rationalis proprias;

CLXIV. Sic pariter calumniantur, dum Religione Christiana omnem voluptatem prohiberi dicunt, cum solæ illæ voluptates prohibeantur, quæ in Epicuri hortis colliguntur, quæque nos similes brutis efficiunt, non autem, quæ rationalis creaturæ propriæ sunt. Jubemur quidem abnegare nos ipsos, ac tollere crucem nostram, & Christum sequi; sed qui considerat, nos esse peccatores, & quanta sit rebellium passionum vis, facile videt, abnegationem sui ipsius, & carnis mortificationem esse omnino necessariam, ut quietam, & tranquillam vitam agamus. Porro experientia docet, eos, qui *spiritu ambulant, & desideria carnis non perficiunt*, majoribus consolationibus abundare, quam qui habenas concupiscentiæ

laxan-

laxantes innumeris obnoxii fiunt molestiis. Quamquam non hujus mundi, sed alterius vitæ felicitates nobis Religio promittit.

CLXV. Verum, ac genuinum Evangelii sensum minime percipiunt, qui ubi hujus sæculi divitias, aliaque bona ab Evangelio condemnari audiunt, illico inferunt, nec aurum possidere, nec dignitates, atque honores acceptare Christianis licere: quod si fieret, magna rerum omnium confusio, totiusque civilis status perturbatio consequeretur: unde aliqui post Bælium Religionem Christianam societati hominum utilem non esse, commenti sunt. Magno tamen in errore versantur; non enim hæc habere, sed iis male uti nobis prohibitum est; nihil autem est magis rationi consentaneum, quam istis omnibus terrenis, ac fugacibus bonis ea præferre spiritualia, & æterna, quæ nobis sunt præparata in cœlis. Eodemque sensu illa Christi verba intelligenda sunt Luc. XIV. 26. *Si quis non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*; ut nempe Deum amemus plus quam omnia alia; non autem ut parentes, aut alios proximos odio ha-

Aut divitias, & dignitates possidere;

beamus; quis enim ignorat, secundum divinæ legis præceptum esse: *diliges proximum tuum, sicut te ipsum?* Et nihil magis a Christo fuit discipulis commendatum, quam ut dilectionem haberent ad invicem: immo nobis præcepit, ut inimicos etiam nostros diligeremus.

Nec virginitatem præcipit.

CLXVI. Sed illud demum Deistis, aliisque hujus sæculi Pseudo-politicis admodum displicet, quod virginitatem in nova lege commendari audiunt; immo eandem præcipi inferunt, quod ad perfectionem semper magis ac magis tendere jubemur; virginitas autem connubio præstare dicitur: quilibet ergo, ut sit perfectus, virginitatem colere debet: unde fit, Religionem Christianam, si accurate observetur, ad generis humani destructionem tandem collimare. Male tamen ratiocinantur, putantes, virginitatem esse ipsam perfectionem, ad quam aspirare jubemur, cum potius sit unum ex mediis, quæ ad illam ducunt. Perfectio nobis præcepta non est nisi caritas, media autem illam acquirendi sunt varia, & attentis diversis hominum circumstantiis unum alteri præstat. Hinc fieri potest, ut virginitas, quæ absolute; & in se considerata conjugio præfertur, aliquibus sit medium

dium ad acquirendam perfectionem minus opportunum (f).

CLXVII. Sequitur modo, ut ea examinemus, quæ ab incredulis objici solent contra mirabilem Religionis christi-
Objeçtio
contra E-
vangeli
propaga-
tionem.
 næ propagationem, quam ipsius divinitatis notam esse probavimus in *P. Isagog. Theol. dogm. §. XCIII. & sequ.* Contendit autem Freretus, eos, qui Religioni Christianæ nomen temporibus Christi, & Apostolorum dederunt, non fuisse nisi pauperes, & rudes, qui facile imposturis, & dolis capi possunt; qua in re abutitur verbis S. Pauli I. Corinth. I. 26. *non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles;* tum etiam aliis Cæcilii apud Minutium

Y 5

Fe-

(f) Ceterum tanta est doctrinæ Evangelii sanctitas, atque sublimitas, ut Rousseavius, magnus ille incredulorum coriphæus Tom. III. *de l'Emile* p. m. 165. ita de eo pronunciaverit: *je vous avoue, que la majesté des ecritures m'étonne, la sainteté de l'evangile parle à mon cœur. Voyez les livres des Philosophes avec toute leur pompe: qu'ils sont petits près de celui là! se peut-il, qu'un livre, à la fois si sublime, & si simple, soit l'ouvrage d'un homme? - - - Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale, & l'Evangile a des caracteres de verité si grands, si frappans, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en seroit plus étonnant, que le héros.*

Felicem in *Octavio*, qui nobis objiciebat: *ecce pars vestra, egetis, algetis, opere, fame laboratis*; atque hujusmodi plura accumulans concludit, plus valere contra Christi miracula, ejusque doctrinae veritatem Phariseorum, aliorumque doctorum incredulitatem, quam imperitiae multitudinis, quae facile decipitur, credulitatem.

Solvitur. CLXVIII. Sed praeter ea, quae loc. cit. *Theol. dogm.*, tum etiam supra §. CXIX. dicta sunt, observandum imo est, non semper facilius esse imperitam plebem, quam doctos, & sapientes a praconceptis praedudiciis liberare; isti enim considerare, dubitare, ac verum detegere consueverunt, contra vero idiotae, & rudes non nisi miraculis, aut palpabili veritatis evidentiâ commoveri possunt. Id autem praecipue contingit, ubi nova doctrina praescribit opera admodum difficilia, & non nisi cum magno vitae periculo eam amplecti, & profiteri licet, cujusmodi erat doctrina Christi per Apostolos praedicata, & ubique propagata. Praeterea observandum etiam est, non hic agi de judicanda intrinseca hujus doctrinae veritate, qua in re nemo dubitat, paucorum sapientum judicium ignarae multi-

tu-

tudini præponendum esse; sed de extrinseca ejusdem doctrinæ probatione per miracula, quorum veritatem non minus imperiti, quam docti videre possunt; potissimum autem si hæc miracula talia sint, ut in oculos omnium incurrant, cujusmodi erant illuminatio cæcorum, multiplicatio panum, & piscium, suscitatio mortuorum, & id genus alia, quæ Christus & palam, & sæpe patravit.

CLXIX. Accedit demum, falsitatis convictum esse Freretum, dum negat, sapientes, & nobiles Christi, & Apostolorum temporibus Evangelio credidisse. Nicodemus Jesu Christi discipulus erat *Princeps Judæorum* Jo. III. 1, *princeps* item *Synagoga* erat Jairus Luc. VIII. 41, cujus filiam a morte suscitavit, Josephus ab Arimathia erat *nobilis decurio* Marc. XV. 43., Lazarus cum suis sororibus non erat unus de plebe. Multos etiam *ex principibus* credidisse in Christum testatur Evangelista Joannes XII. 42; quamquam propter Phariseos non eum confitebantur palam, ne e Synagoga ejicerentur; atque ut plurima alia omittam, sufficit testimonium S. Lucæ Act. VI. 7: & *verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Je-*

Prosecutio
solutionis.

ru-

rusalem valde; multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. Et hi omnes erant Judæi; unde patet, quomodo intelligenda sint verba objecta S. Pauli, & alia similia; videlicet non multos fuisse sanguinis nobilitate, potentia, aut doctrina claros, fuisse tamen aliquos hujusmodi, qui Christo crederent (g). De conversionibus autem factis inter gentiles, postquam eis Evangelium annuntiari cœptum est, mox videbimus.

Solvitur
illa Freretii
objectio.

CLXX. Pergit Freretus, contendens, Evangelii propagationem violentiæ Imperatorum Christianorum potissimum adscribendam esse, & multa affert ad id probandum eorum edicta, quibus vetita Gentilium superstitione omnibus Christiana Religio imperabatur. Verumtamen dissimulare non debuisset, Evangelium Chri-

(g) Nihil addimus de regia nobilitate S. Bartholomæi, quem etiam perpetuo purpuratum, ac gemmatum incessisse ex *Ψευδώνυμο* Abdia aliqui fabulati sunt; Apostolos enim, ut scite advertit S. Ambrosius Lib. V. in Lucam, Christus cœlesti consilio elegit, *non sapientes, non divites, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentia, nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur.* Multo plura affert in hanc rem Jo. Lami in Lib. singulari *de Eruditione Apostolorum.*

Christi tribus prioribus sæculis fuisse longe lateque disseminatum, quando Imperatores non solum ejusdem propagationi non favebant, sed atrocissimis persecutionibus eam impedire totis viribus conabantur. *Fides vestra*, inquiebat S. Paulus Romanos alloquens cap. I. 8. *annuntiat in universo mundo*; & Coloff. I. 6. *Evangeli-um in universo mundo fructificare, & crescere, asserere non dubitabat.* Quædam aliorum testimonia attulimus in *P. Isagog.* §. XCIII, & sequ., quibus addere possumus ingenuam hostium religionis confessionem: nam Maximinus infensissimus Religionis nostræ persecutor scribebat apud Eusebium Lib. IX. *Hist. Eccles.* cap. 9, *cunctos fere homines relicto Deorum immortalium cultu ad Christianorum sectam se applicuisse.* Præterea si totam historiam tam Ecclesiasticam, quam profanam æquo animo consulisset Freretus, nullibi invenisset, adeo sævas, & adeo generales fuisse contra infideles, aut hæreticos persecutiones excitatas, quales fuere illæ decem, quas tribus prioribus sæculis, & initio 4ti Ecclesia Christi passa est, non breves, aut certis locis restrictæ, ut sine fundamento asserit Freretus, sed diuturnæ, universales, atque atrocissimæ, ut

videre est apud graviores Historicos Tillemontium, Fleurium, Ursium, Mamachium, atque etiam Ruinartium, qui *acta Martyrum sincera* collegit. Tandem non inficiamur, Constantini M., aliorumque Imperatorum, ac Principum Christianorum pietate, ac patrocínio fuisse res nostras amplificatas; sed quam ratione isti Principes ad Religionem ipsam amplectendam adducti fuerunt? Anne violentia, aut armis, & non potius persuasione, & miraculis? Scilicet iis ipsis mediis, quibus Religio Christi antea nata, & propagata fuerat (h).

Postrema
objectio
contra Mar-
tyres.

CLXXI. Superest denique, ut eam divinæ nostræ Religionis notam vindicemus, quam in *P. Isagog. Theol. dogm. §. XCV.* breviter proposuimus ex multitudine Martyrum depromptam, qui sanguine suo ejus veritatem confirmarunt.

Eam

(h) Hæc fusius, & accuratius tractata videri possunt apud Bergier *Examen critique des Apologues de la Religion Chrétienne*, tum apud Cl. P. Antoninum Valfecchi in *Acroasi de mira Evangelii propagatione adv. Freretum*, & in Hæda *P. Religionis Viâricis*. Argumentum autem, quod ex mira propagatione superstitionis Mahumetanae increduli trahere solent, inferius dissolvetur, ubi Mahumetis imposturas, & absurditates detegemus.

Eam vero ita Freretus infirmare conatur. Imo etiam falsis hæreticorum, aut infidelium sectis suos non defuisse Martyres dicit, atque allegat testimonium antiqui scriptoris apud Eusebium Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. XVI, qui Montanistas confutans jactantes, se multos Martyres habere, inquebat: *& aliarum hereseon sectatores plurimos se habere Martyres prædicant; neque idcirco tamen eis assentimur, nec veritatem penes illos esse fatebimur.* Deinde facta enumeratione plurimorum falsarum Religionum Martyrum concludit, nihil esse hac in re supernaturale, cum natura sola omnis generis cruciatibus, atque suppliciis tolerandis sufficientes vires præbere possit, accedente potissimum animi pertinacia, cujus exempla multa, & admiranda nobis Historia suppeçitat. Etiam Auctor *Christianismi detecti* entusiasmo, & fanatismo totam eam vim tribuit; qua Martyres cujuscunque Religionis tormenta atrocissima superarunt.

CLXXII. Huic tamen difficultati re- Solvitur.
spondebat olim Lactantius Lib. V. *Divin. Institut.* cap. 13. & sequ., observando, Religionem Christianam ubique ferme errarum habuisse Martyres, & quidem

omnis

omnis sexus, omnis ætatis, & gentis, quo fit, ut vix, ac ne vix quidem possit tanta, & tam universalis constantia pertinaciæ, entusiasmo, aut fanaticismo adscribi. Accedit, fuisse Martyres nostros quam sæpissime non brevi supplicio extinctos, sed exquisitis doloribus diu excruciatos, immo & curam tortis diligenter adhibitam, ut ad alios cruciatus membra renovarentur, & repararetur novus sanguis ad pœnam. Naturam autem aut enthusiasmum tam sævis, tam diuturnis, ac repetitis doloribus tolerandis suffecisse quis credat? Vix sine horrore crudelissima tormentorum genera legi possunt, quibus Martyrum constantia probata fuit (i). Accedit demum, Deum haud raro heroicam suorum Martyrum fortitudinem multis, magnisque

-
- (i) Sit speciminis loco, quod narrat Auctor Libri *de mortibus Persecutorum* n. 21. *subdebatur imo pedibus lenis flamma tamdiu, donec callum solearum contractum igni ab ossibus revelleretur: deinde incensæ faces, & extinctæ admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus: & inter hæc suffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne arescentibus siccitate faucibus cito spiritus redderetur; quod postremo accidebat, cum per multum diem decocta omni cute vis ignis ad intima viscera penetrasset.*

que 'prodigiis coronasse, quibus vel ipsi Gentiles tandem commoti Christianam Religionem amplectebantur, & intrepide se Tyrannis offerebant, ut iisdem suppliciis plecterentur. Hæc legi possunt non in spuriiis quibusdam, sed in sinceris eorundem actis a Ruinarthio collectis.

Conclusio hujus sectæ.

CLXXIII. Si Naturalistæ Religionem, ut vocant, naturalem sincere, atque ex animo profitentur, rectamque, ac sanam sequuntur rationem, non video, cur ab amplectenda Divina Religionis Christianæ revelatione alieni esse debeant. 1mo enim hæc Religioni ipsorum *naturali* minime opponitur; immo quæ ratio nostra dictat de officiis erga Deum, nos ipsos, & proximum, multo certius confirmat: non est ergo, cur eam saltem ex hoc capite explodant. 2do inficiari nullatenus possunt, Deum præter hæc naturalis legis officia pro arbitrato suo nonnulla alia potuisse nobis præcipere, quæ pariter observare tenemur. 3tio potuisse etiam præter veritates ordinis *naturalis* alias manifestare ordinis *supernaturalis*; & *Gazzan. Theol. polem.* Z ita

ita quidem, ut de iis dubitare non possimus, quamquam modus nos lateat, quo in se ipsis sunt; quemadmodum etiam multas res in natura existere certo novimus, quamquam modum, quo fiunt, aut sunt, prorsus ignoramus. 4to cum Christus Dominus has supernaturales veritates re ipsa docuerit (qua de re nemo ambigit), suamque doctrinam & sanctissimis moribus, & sublimibus præceptis, & manifestissimis (frendeat quantum vult pertinax incredulitas) miraculis, ac vaticiniis confirmaverit, & adhuc confirmare non cesset, cogitent Naturalistæ, ut eos Apostolus monet Hebr. II. 3, *quomodo effugient iram Dei, si tantam neglexerint salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus S. distributionibus secundum suam voluntatem.* Sed ipse Christus rogandus est, ut quemadmodum surdorum aures, & cæcorum oculos aperuit, hoc ipsum miraculum in nostris incredulis spiritualiter operetur, quo Evangelium dociles audiant, ejus veritatem videant, atque in obsequium fidei contu-

ma-

macem hactenus intellectum in captivitate redigant. Amen (k).

(k) Pro majori studioforum emolumento brevem catalogum eorum addimus, qui inter Catholicos provinciam confutandi incredulos sibi sumpserunt; non quidem omnium, sed quorum in præsens nobis memoria occurrit. Et latine quidem eos confutarunt

P. Th. Maria Cerboni Ord. Præd. in 4. Tomis in 4to de *Théologia nat. & revel.* Romæ 1768.

P. Vinc. Fassini Ord. Præd. de *Apostolica Evangeliorum origine*, vol. I. in 8vo.

Jof. Francescati *Principia Religionis nat. & revel.* Veronæ 1769. volum. 4. in 4to.

L. J. Hooke *Religionis nat. & revel. principia methodo scholastica digesta* vol. 3. in 8vo. Parisiis 1752.

Petr. Dan. Huetius in *Demonstratione Evang.* Tom. 2. in 4to.

P. Jordan. Simon Eremit. Augustin. de *Religione contra Libertinos* Lib. 3. Pragæ 1773.

Melch. de Polignac *Anti-Lucretius, sive de Deo, & natura* Lib. IX.

P. Ben. Stattler S. J. *Demonstrat. Evang. Religionis a J. C. revelatae certitudo*. Aug. Vind. 1770. 8vo.

De veritate Religionis Christianæ vol. 2. in 8. Neapoli 1776.

In lingua autem Italica

P. Cast. Innoc. Anfaldi Domenicano *Ragionamento della Necessità, e Verità della Religione naturale, e rivelata* vol. I. in 8vo Venezia 1755.

P. Dan. Concina Domenicano *della Religione rivelata contro gli Atei, Deisti, Materialisti, e Indifferentisti* à Venezia 1754. in 4to.

P. Bern. Lamy *Dimostrazione, ovvero Pruove evidenti della verità, e santità della Morale Cristiana tradotta dal Francese*. Tom. V. in 12.

P. Thom. Vinc. Moniglia Domenicano *Dissert. contro i Fatalisti* vol. 2. in Lucca 1744. *Dissert. contro i Materialisti, e altri Increduli* vol. 2. in 8vo in Padova 1750; *Osservazioni critico-filosofiche contro i Materialisti* vol. 1. in 12mo Lucca 1760; & *la mente umana, spirito immortale, non materia pensante* vol. 2. in 8vo Padova 1766.

Gio. Batt. Noghera nella *Filosofia del bello spirito*.
P. Paolo Segneri nell' *Incredulo senza scusa*.

P. Antonino Valsecchi dei *Fondamenti della Religione, e dei fonti dell'empietà* Lib. 3. opus sæpius recusum, & in latinum idioma etiam versum vol. 3. in 4; item *la Religione vincitrice* vol. 2. in 4. Padova 1776.

Piano per dar regolato sistema al moderno spirito filosofico, opus illustriss. D. Zaguri Episc. Cenedensis. edit. 2da 1777. Padova.

Multo plures pro defensione Religionis contra Incredulos libri gallice prodierunt.

Bergier *Apologie de la Religion chrétienne contre l'Auteur du Christianisme dévoilé* vol. 2. in 12; *la Certitude des preuves du Christianisme* vol. 1. in 12; *la Réponse aux Conseils raisonnables; Réponse a la lettre inserée dans le recueil philosophique au sujet des livres intitulés; la Certitude des preuves du Christ.* vol., in 12; *le Deïsme réfuté par lui même* vol. 1. in 12. *Examen du Materialisme, ou Réfutation du système de la nature* vol. 2. in 12. Hujus opera italice versa, & nonnullis correctionibus, ac notis illustrata edita fuerunt a Nicolao Conti. Romæ 1770.

Le P. La-Berthonye Dominic. *Oeuvres pour la défense de la Religion Chrétienne contre les Incrédules, & contre les Juifs* vol. 3. in 12

Abraham Jos. de Chaumeix, *Prejugés légitimes contre l'Encyclopedie* vol. 8. in 12.

Duguet, *Traité des principes de la Foi Chrét.* vol. 3. in 12.

- P. Gabriel Fabricy Dominicain, *Discours préliminaire* Tom. I. des Titres primitifs de la Revelation. Rome 1772.
- François, *Preuves de la Religion Chrétienne* vol. 4, *Défense des preuves de la Religion* vol. 4, *Observations sur la Philosophie de l'Histoire* vol. 2. in 8.
- Franc. de Salignac de la Motte Fenelon, *Oeuvres philos.*, ou *Démonstration de l'existence de Dieu* &c. vol. I. in 12, in cujus tertia edit. anni 1726. habetur etiam *Refutatio Spinozæ* P. Tournemine.
- Le Franc, *Incredulité convaincue par les prophéties* vol. I. in 4. ou vol. 3. in 12.
- Jean Gauchat, *Lettres critiques, ou Analyse, & Refutation des divers écrits modernes contre la Religion* vol. 14. in 12.
- Houtteville, *la Religion Chrét. prouvée par les faits* vol. 4. in 12.
- Nonnotte, *les erreurs de Voltaire; & le Dictionnaire philos. de la Religion*, cujus tamen *Diction. commendari meretur* 4ta editio correctæ, & auctæ, immo quasi de novo refusa, à Paris 1775. vol. 2. in 8.
- Le Pere Richard Dominic. Tom. VI. du *Diction. des Sciences Ecclesiast.* artic. *Religion*; & *la Défense de la Religion, de la Morale, de la vertu* &c. & *la Politique naturelle* &c. vol. I. in 8. Paris 1775.
- Jac. Vernet ex Reformato Catholicus, *Traité de la vérité de la Religion Chrétienne.*
- La foi justifiée de tout reproche de contradiction avec la raison* &c. in 12. Paris 1772.
- P. Viret, *Réponse à la Philosophie de l'Histoire.*
- Lettres à M. le Chevalier de *** entraîné dans l'irreligion par un libelle intitulé: le Militaire Philosophe, en France* 1770. in 12.
- Lettres d'une Mere à son fils, pour lui prouver la vérité de la Religion Chrét.* vol. 3. quod opus

etiam italice versum, & impressum fuit. Venetiis 1770.

Lettres Flamandes, ou Hist. des variations, & contradictions de la prétendue Religion naturelle vol. in 16. a Lille 1754.

Lettres de quelques Juifs Portugais, & Allemands a M. de Voltaire vol. 3. in 8; quod opus non Judæorum est, ut titulus præfert, sed cujusdam Catholici.

L'oracle des nouveaux Philosophes &c. à Berne 1760; quod opus tribuitur Abbati Guyon in Tom. XIV. de la Religion vengée Lettre 15.

La nouvelle Philosophie dévoilée &c. in 12. en France 1770.

Le Philosophe moderne, ou l'incrédule condamné au Tribunal de sa raison par M. l'Abbé le M. D. G. a Paris 1766.

Préservatif pour les Fidéles contre les sophismes, & les impiétés des Incrédules; opus D. Deforis Ord. S. Bened. a Paris 1764.

Ex Catholicis autem, qui germanico idiomate Religionem contra incredulos defenderunt, noti mihi sunt.

P. Jordanus Simon Augustin: *Theologie wider die starken Geister* vol. 1. in 8. Augspurg 1772.

Siegm. v. Storchenau: *die Philosophie der Religion*. 5. Band in 12. Augspurg 1775.

A catholicis pariter magno numero præcipue autem Angli, hanc spartam feliciter adornarunt, sed eos recensere nimis longum esset. Inter ceteros autem eminere videntur Turretinus, l'Abbadie, Jaquelotius, Cudworthus, Leland, Clarckius, Sherlockius, alique, quorum sæpe in his tribus sect. facta est mentio.



S E C T I O IV.

*Contra errores Judæorum, Gentilium,
& Mahumetanorum.*

I. **P**ostquam contra Naturalistas divi- Hofes vere
revelatio-
nis Judæi,
Gentiles.
& Mahume-
tani.
nam revelationem existere ἀπο-
δεικτικῶς ostendimus, series doctrinæ po-
stulat, ut eos refutemus, qui illam ut di-
vinam agnoscere, & adorare recusant,
quam Jesus Christus Deus & homo no-
bis manifestavit. Horum autem triplex
distinguitur genus, scilicet 1mo Judæo-
rum, qui Dei revelationem in V. T. fa-
ctam nobiscum venerantes novam ejus-
dem per Christum Dominum manifestatio-
nem ut falsam rejiciunt: 2do Gentilium,
qui vanas, & fictitias falsorum Numinum
revelationes jactant: ac demum Mahu-
metanorum, qui revelationem V. ac N.
T. non omnino respuunt, sed insulas
Prophetæ sui Mahumetis fabulas ei adjiciunt.
Exordiemur autem a Judæis, qui
nobis aliqua ratione propiores esse vi-
dentur.

II. In plurimis tamen, iisque maximis Errores
præcipui Ju-
dæorum.
doctrinæ capitibus a nobis dissentiunt.
Nam 1mo mysterium Trinitatis omnino

explodunt (1): 2do consequenter etiã mysterium divinæ incarnationis: 3tio nullum esse volunt peccatum originale, ad quod delendum Deus humanam carnem assumpsit: 4to vana profus, & futilia reputant novæ legis Sacramenta, de quibus, aliisque Judæorum erroribus videri potest Car. Jos. Imbonatus in *Bibliotheca latino-hebraica*. Sed error ipsorum capitalis, ac veluti $\pi\epsilon\sigma\omega\tau\omicron\nu$ $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma$ est, Messiam in lege promissum nondum advenisse, quem propterea vana spe quotidie expectant (m). Hunc errorem modo

Con-

(1) Ex quo Judæi Deum unum in essentia, & trinum in personis non fatentur, sequitur, eos verum Deum non adorare; unde sine calumnia idololatriæ accusantur. Hinc Phil. a Limborchio justam subiit reprehensionem, quod in sua *Amica Collatione* cum Isaac Orobio Judæos ab idololatria absolverit, cui propterea Orobio grates rependit, quod ipsos non sicut alii barbaros judicet, & a vero Deo alienos.

(m) Ita ferme habet communis Judæorum opinio; attamen non defuerunt imo, qui de Messie adventu dubitarent, contententes, eum non ex SS. Litteris, sed ex sola traditione errori obnoxia credi, ut refert Basnagius *Hist. des Juifs* Lib. VI. cap. 20. art. 3. 2do, qui Messiam jam advenisse dixerint, eumque fuisse Ezechiam, ut liquet ex *Gemara* Tit. *Sanhedrim* cap. 9. Sect. 36. 3tio qui eum jam

na-

superstitiones, quibus obcæcatus populus sanctissimam Dei Religionem contaminavit; sed omnia hæc persequi nimis longum esset, & parum utile: quamobrem his omissis fundamentalem tantummodo illam controversiam pertractabimus de Messia, nempe Jesu Nazareno, in quo omnia veterum Prophetarum oracula adimpleta fuisse, Deo adjuvante ostendemus. Quod si evicerimus, novum contra

traditiones simul collectas exhibuit in libro, qui *Misnah* appellatur; ac super hunc librum Jochanan una cum Rab, & Samuel duobus Judæ discipulis commentarium edidit, nempe Gemaram, seu Talmud Jerosolymitanum; quo non contentus R. Afa una cum filiis, & discipulis suis Gemaram, vel Talmud Babyl. composuit: atque hinc secundus ordo Doctorum, qui *Gemaristæ*, aut *Talmudistæ* dicti sunt. Hos consecuti sunt *Seburienses*, seu *Opinantes*, quia Pyrrhonorum more de omnibus disputabant, quin aliquid certo deciderent. Deinde *Masorethæ*, de quorum origine valde discrepant eruditi: ac denique *Kabalistæ*; de quibus omnibus videri possunt Bartoloccius Tom. III. *Biblioth. Rabbin.*, & Jo. Henr. Otto *Histor. Doct. Mischnic.* His autem acriter contradicunt *Karaitæ*, seu *Karei*, qui traditionibus rejectis uni divinarum scripturarum textual scrupulose inhaerent. De horum secta videri maxime meretur Diatribe Jacobi Triglandi adjecta syntagmati trium scriptorum illustrium *de tribus Judæorum sectis*, Delphis 1703. in 4to.

tra incredulos argumentum prodibit, quo veritas Religionis revelatæ demonstretur.

C A P U T I.

Ex miraculis, & vaticiniis J. C., quorum veritatem in sup. sect. demonstravimus, luculenter eruitur contra Judæos, eum esse Messiam in lege promissum.

IV. **U**t legimus Matth. XI, cum Joannes in vinculis audisset, opera Christi, mittens duos de discipulis, ait illi: *Tu es, qui venturus es* (nimirum Messias in lege promissus) *an alium expectamus?* Et respondens Jesus ait illis: *euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis: cæci vident &c.*; quibus verbis liquido apparet, Dominum Jesum se manifestasse, & prædicasse, ut Messiam, quem ex Prophetarum oraculis Judæi expectabant. Hinc etiam qui crediderunt in eum, Messiam jam venisse dicebant Jo. I. 41. & IV. 25., neque hac de re ambigi potest. Jam vero si Jesus pro confirmanda missionis, & doctrinæ suæ veritate miracula, & vaticinia edidit, quod superius demonstratum est, luculentissime sequitur, eum talem fuisse, qualem

Jesus se Messiam esse demonstravit miraculis.

364 *Ostenditur, Jesum esse Messiam.*

lem se faciebat, Messiam nempe, quem toties antiquis Patriarchis, & Prophetis Deus pollicitus fuerat; & quem magna editurum miracula prædixit Propheta Isaias XXXV. 5. & sequ.; unde etiam sæpius Judæi ab eo miracula exposcebant.

Et vaticina-
liis.

V. Hinc etiam argumento *a posteriori* colligi potest, fuisse omnia veterum Prophetarum oracula in Jesu Christo completa. Quemnam enim habere poterimus meliorem, aut veriore eorundem interpretem, quam Jesum, qui stupendis miraculis, ac verissimis prophetiis doctrinam suam cœlestem esse, ac divinam comprobavit? Hoc argumento usus est S. Petrus Act. II. 23. inquit: *viri Israëlita, audite verba hæc: Jesum Nazarenum virum approbatum (ἀποδεδειγμένον demonstratum) a Deo in vobis virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicuti & vos scitis &c.*; & eo quidem felici exitu, ut his auditis Judæi ad tria circiter millia baptizati sint. Utinam istorum exemplum omnes alii sequantur, præcipue postquam vident Christi Domini vaticinia de civitatis Jerusalem, ejusque templi everfione, de Judæorum dispersione, de voca-
tio-

tione gentium, atque Evangelii propagatione reipsa adimpleta; quæ omnia Judæi a S. Petro conversi videre non potuerunt.

VI. Porro nullum aliud contumacibus effugium superest, quam aut hæc facta negare, aut ea magicis artibus tribuere. At vero primum facere nequeunt, nisi simul & miracula Moyſis, & totam historicam veritatem evertant. Alterum vero effugium præclufit ipſe Chriſtus Dominus Matth. XII. 25. & ſequ. Et ulterius etiamſi fingere quis velit, Chriſtum magicis artibus, vel dolis, aut præſtigiis Judæos ludificaffe, dum viveret, quomodo ſuſpicandum erit, id eum potuiſſe etiam efficere poſt mortem? Mortui quippe nullæ amplius ſunt fraudes, vel fallaciæ. Apoſtolos autem & diſcipulos ita fuiſſe de Chriſti reſurrectione certos, ut pro ea mortem oppetere non dubitaverint, fuſius expoſuimus in ſuper. ſect. §. CXII. Non equidem puto, cordatiores noſtri ævi Judæos commentitiam illam fabulam in medium allaturos, Chriſtum nempe invento, & ſuffurato nomine יהוה potuiſſe omnia prodigia patrare (o);
ope-

Vanum ad ea cludenda Judæorum effugium.

(o) In libro הולדות ישו seu *generationum Jeſu*, quem

366 *Ostenditur, Jesum esse Messiam.*

operis enim dispendium esset, eam pluribus refutare.

Potissima
Judæorum
difficultas
solvitur.

VII. Hoc tamen potissimum objicere solent Judæi, a Christo nempe fuisse veterem legem abrogatam, novumque fœdus institutum: at vero, inquit, fuerat

quem primo edidit Raym. Martini in *Pugione fidei*, ac post ipsum Wagenfeilius in opere *Tela ignea satanæ*, & demum Jo. Jac. Uldricus Lugd. Batav, 1705. in 8vo (quamquam hic postremus ab alio est valde diversus) ita fabula narratur: ætate Jesu (qui filius *Pantheræ* ibi nominatur) erat in templo insculptum nomen Dei ineffabile lapidi fundamenti, quem David Rex reperit supra os abyssi, & in sancto sanctorum deposuit; Jesus nomen illud invenit, & una cum mysteriis membranæ inscriptum incisa sui corporis carne sub pelle condidit, qua arte potuit latratus duorum leonum, qui ex ære confecti, & cum incantamentis ad custodiam illius nominis positi erant, eludere, ut scilicet ejus iterum recordaretur, postquam latratuum leonum arte magica fuerat illius oblitus. Hoc erat magnum illud veterum Rabbīnorum effugium ad vim miraculorum Christi labefactandam, quæ cum negare non possent, virtuti hujus nominis *schemmanphorasch* ab ipso suffurati tribuebant, ut videri potest in *Gemaris Jerosolym. & Babylon.* Hujus putidissimi operis figmenta refutat Basnagius *Hist. des Juifs* Lib. VI. cap. 28; quamquam vix operæ pretium id videatur, præcipue postquam recentiores Judæi nauci, ut meretur, hunc librum faciunt. Consul. R. Zevi in *Theriaca Jud.* cap. I. §. 7. lat. versionis Wulferi.

rat a Deo Israelitis sæpius promissum, fœdus, quod inierat cum Abraham, Isaac, Jacob, & Moyse, futurum *sempiternum* (p). Vana est hæc objectio; promissiones enim fœderis sempiterni iis non repugnant, quibus Deus novum fœdus sub futuro Messia promisit Jerem. XXXI: *feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum &c.* Facile autem hoc modo conciliantur, ut fœdus initum cum antiquis Patriarchis *perpetuo* durare deberet usque ad adventum Messia; eo autem adveniente, jam priore promissione adimpleta, nova adimplenda esset. Hinc etiam Christus Matth. V. 17. dicebat: *nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere.* Sane Judæi negare non possunt, antiqui fœderis cultum exterioriorem fuisse templo Jerosolymitano alligatum Deuteron. XII. 5. & sequ., & I.

Pa-

(p) Teste Basnagio *Hist. des Juifs* Liv. 4. ch. 19. hoc est unum ex potissimis præjudiciis, quibus Judæi a J. Christi religione amplectenda arcentur; ponunt enim inter suæ sectæ fundamenta, legem Moyseis numquam esse abolendam, aut immutandam art. IX. *Confess. fidei* editæ Sec. XI. Æ. C. desinente in, XIII. articulos, quorum auctor fuit R. Maimonides.

368 *Ostenditur, Jesum esse Messiam.*

Paralip. XXII: cum igitur Deus a 17, & amplius sæculis templum a Judæis abstulerit, signum est evidentissimum, sacrificia veteris legis jam cessasse, novumque esse foedus institutum.

Et ostenditur, cultum Dei externum mutari debuisse.

VIII. Sane si Judæi credunt, promissum in lege esse Messiam, credere etiam debent, eo adveniente exteriorum Religionis cultum in legalibus cæremoniis fitum mutandum esse; cæremoniæ enim illæ Christum ut futurum significabant, quas proinde mutari oportet, semel ac Christus advenerit. Non mutatur tamen per hoc Religio, quæ in utroque Testamento V. ac N. una eademque est, cum hoc solo discrimine, ut in vetere Testamento Messias futurus speraretur, in novo autem venisse credatur, & adoretur. Hinc tota mutatio nonnisi in præceptis cæremonialibus facta est, moralia autem eadem perseverant: non est itaque, cur propter hanc mutationem Judæi a Christi religione abhorreant.

Quomodo Judæi ex veteribus prophetiis convinci possunt?

IX. Hoc argumentum ex Christi miraculis ac vaticiniis depromptum ad frangendam Judæorum pertinaciam satis esse deberet, sed ut rem pressius agamus, ex V. Testamenti prophetiis, quas Judæi admittunt, Jesum esse illum Messiam, quem

quem frustra adhuc expectant, demonstramus. Ut autem id majore in luce ponatur, imo ostendamus, falli eos, qui putant, certum non fuisse prænunciatum tempus, quo Messias venturus esset; aut potuisse illud tempus propter aliquas causas differri. 2do illud tempus a Prophetis prædictum esse jam elapsum, adeoque certissime Messiam advenisse. 3tio hunc Messiam non esse alium, quam Jesum Christum, cui omnes characteres prænunciati Messiae conveniunt.

C A P U T II.

Epocha adventus Messiae a Prophetis prædicta est; nec fingi potest, eam aliqua de causa fuisse dilatam.

X. **S**upponimus tanquam certum, fuisse olim promissum Messiam, parum solliciti de quibusdam paucis Judæis, qui refragantur (not. m. ad §. II.); quae de re actum est in *Theol. dogm. P. V. cap. XIII*: solum itaque eos Rabbinos impugnabimus, qui ut invictam nostrorum argumentorum vim effugiant, certam adventus Messiae epocham nunquam a Deo *Gazzan. Theol. polem.* **A a con**

Rabbini
Messiae ad-
ventum in-
certum esse
volant.

constitutam fuisse contendunt; aut aliquibus de causis fuisse dilatam (q).

Sed certa
ejusdem
epocha fuit
a Prophetis
prædicta.

XI. At vero certam, & determinatam adventus Messiae epocham fuisse a Deo Prophetis revelatam, ostendunt imo celebres illæ duæ prophetiæ Gen. XLIX, 8. & seq., & Dan. IX. 24. & sequ., quæ in *Theol. Dogm.* P. altera §. 5. & 7. expositæ sunt; in earum enim ima non solum continetur promissio Messiae venturi, sed etiam hanc faustissimam promissionem esse adimplendam, antequam sceptrum

-
- (q) Primam sententiam tenent Chaldæus Paraphrastes ad cap. VIII. *Ecclesiastes*, R. Joseph aben Jachia in *Comment. ad Danielis XII*, R. Maimonides in compendio *Pandect. Talmud. Tra&*. Melachim cap. 12, R. Abarbanel in *Maschiah jescua* p. 520. vers. lat. factæ a Jo. Henr. Majo, R. Menassé ben Israel in *Libro spes Israel*, & non pauci alii. Altera opinio multo pluribus arridet, ad eamque confugerunt Rabbinii in celebri Collatione habita sec. XV. coram Antipapa Bened. XIII, ut refert Bagnagius *Hist. des Juifs*. Lib. III. cap. 16; & luculenter traditur in *Gemara Babylon. Tra&. Sanedrim* pag. 350. edit. Coejeji, tum in *Pesichta Sotarta*, quæ existat Tom. XVI. *Theauri Ugolini*, atque in *Targum scir ascirim* cap. 7. Nec denique defuerunt, qui dicerent, non esse investigandum tempus adventus Messiae; immo maledictiones evomerent contra eos, qui id facere auderent: *rumpatur spiritus eorum, qui supputant fines, aut temporum terminos* V. Buxtorfius in *Vou Nin.*

trum auferatur de Juda; in altera autem tempus ejus adventus adhuc accuratius præfigitur, scilicet septuaginta hebdomadam ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem. Accedunt item vaticinia Aggæi II. 7. & sequ., & Malachiæ III, in quibus venturus Messias promittitur, antequam templum a Zorobabele extractum destrueretur. Demum cum a Prophetis omnes etiam minutiores circumstantiæ nativitatis, vitæ, prædicationis, miraculorum, passionis, ac mortis futuri Messiæ prænunciatæ fuerint, quis sibi persuadeat, solam temporis circumstantiam fuisse silentio prætermittam? sed hæc omnia majore in luce ponentur, quando inferius indicata vaticinia in Jesu Nazareno adimpleta fuisse monstrabimus cap. III, & sequ., eique omnes promissi Messiæ characteres convenire.

XII. Hoc adeo verum est, ut, quamquam Judæi nihil eorum prætermiserint, quæ Jesu objicere poterant, nunquam tamen hoc eis in mentem venit, ut dicerent, tempus Messiæ nondum advenisse; immo contra quando Christus in Judæa apparuit, communis erat omnium persuasio, Messiam tunc esse venturum; ideo autem potissimum cæca Judæorum natio Je-

Immo à
traditione
propagata.

sum ut Messiam agnoscere noluit, quod Messiam expectaret in regia majestate, & potentia, qua regnum Israel temporale restitueret, & toto terrarum orbe amplificaret. (r) Hanc communem Messie expectationem temporibus Jesu Nazareni indigitat Flavius Jos. Lib. VII. *de bello Jud.* cap. V. inquit, *vaticinium fuisse antiquum in sacris libris repertum, illis circiter temporibus quemdam ex ipsorum finibus profectum orbis terrarum imperio potiturum.* Ubi tamen Josephus non solum cum aliis Judæis erravit, putans Messie regnum futurum temporale, sed etiam turpi adulatione illius vaticinia Vespasiano accomodare non est veritus. Suetonius item ad Judæorum persuasionem venturi tunc temporis Messie respexisse videtur, dum in Vespasiano ita scripsit: *percrebuerat Oriente toto vetus, & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæa*

(r) Ex illa communi persuasione factum est, ut illis temporibus multi impostores se pro vero Messia venditarent, de quibus videri potest *Dissert. sur les faux Messies, qui ont paru depuis J. C. Tom. XXI. de la Bible de M. Rondet.* Inter ceteros eminuit Barcocheba, qui non solum rudibus, sed ipsis sapientioribus, imprimis autem celeberrimo R. Akiba se Messiam esse persuasit sub Hadriano Imperat.

de a profecti rerum potirentur. Demum & illa erat antiqua traditio (etiam in Talmud Tract. IV. *Sanhedrim*), mundum 6000 ann. duraturum, quorum duo priora milia fluere debebant ante legem, duo sequentia usque ad Christum, & reliqua usque ad finem; de qua dignus est qui legatur P. Th. Malvenda de *Antichristo* Lib. I. cap. 28. & sequ.

XIII. Quæ ad laudata vaticinia a Jesu Nazareno ad alias personas detorquenda excogitarunt Rabbini, solventur capp. sequ. ubi ostendemus, hæc oracula fuisse in eo adimpleta: hic duntaxat unam, vel alteram levem difficultatem expediemus, quæ directe contra determinationem epochæ adventus Christi faciunt. Et quantum ad vaticinium Jacobæum, objicere solent, Moysen *Deuteron. XXXIII*, ubi benedictiones Jacob compendio repetit, nullam Messiae mentionem facere. Fatendum certe est, hunc locum non esse omnino perspicuum; dici tamen potest cum P. Houbigant, promissionem Messiae obscure saltem iis verbis indigitari: *ad populum suum introduc eum*; seu potius ex textu hebraico: *deduc eum ad populum ejus*; quorum nullus planior esse potest sensus, quam si ad Messiam referan-

Solvitur
difficultas
ex Deut.
XXXIII.

tur, quem Moyses a populo suo nosci, & adorari precatur. Ceterum nota est hermenautices regula, ut quæ obscuriora sunt, per clariora explicentur, non contra: clariora autem certe sunt verba Jacob *Gen. XLIX*, quam Moysis loc. cit. *Deuteron.*

Alia difficultas ex *Dan. XII.* enodatur.

XIV. Contra prophetiam autem Danielis, quæ nullum plane relinquit dubium, obijcere imo solent ea verba ejusdem Danielis *XII. 4. tu autem Daniel, claudesermones, & signa librum usque ad tempus statutum*; quasi vero arrogantiam, & præsumptionem sapiat hoc vaticinium de Christo explicare, aut ejus adventus epocham determinare. Sed imo nescio, qua ratione possint hæc verba ad vaticinium de Messia referri, de quo egit *Propheta cap. IX*, cum potius ex contextu spectare videantur ad postrema mundi tempora, quibus conversio populi hebraici reservata est, 2do genuinus illorum sensus indicat certitudinem prophetiæ referendæ, atque adimplendæ tempore constituto.

Difficultas ex supputatione 70 hebdom.

XV. Major esse videtur difficultas in supputatione 70. hebdomadum, de qua etiam doctissimi inter Christianos in variis abeunt sententias. Verumtamen imo

plus

plus quam certum est, fuisse in hoc vaticinio determinatum tempus adventus Messiae, nempe post hebdomadas 69; hoc enim patet ex ipsa litterali vaticinii lectione: & post 69. hebdomadas excindetur Christus. 2do certissimum pariter, est, hoc tempus fuisse jam diu elapsum; ea enim, quae ibi praedicuntur, nempe destructio Jerusalem, devastatio templi, ac populi Judaici dispersio jam diu evenerunt; quo fit, ut etiam adventus, & occisio Messiae, quae similiter ibi praenunciantur, jam praeteriisse debuerint; quae duo in praesentiarum sufficiunt, utpote quae sola ad dogma pertinent, & in quibus nulla est doctorum dissensio.

XVI. Nam quantum spectat ad temporis ipsius supputationem haec est, sin minus undequaque certa, saltem quae mihi probabilissima videtur doctorum opinio. Imo Angelus Gabriel Prophetæ revelat temporis illius jam determinati initium, scilicet *ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem*, quae verba intelligi non possunt, nisi de edicto, quo Rex Artaxerxes a Græcis dictus *μακρόχσις*, seu *Longimanus* anno regni sui vigesimo potestatem Nehemiae fecit, ut iterum muros Jerusalem, & plateas aedificaret, ut

Probabilior. ejus solutio.

legitur Lib. II. Esdræ II; alia enim duo edicta, quæ a Regibus Persarum pro Judæis lata fuerant, nonnisi templi, non autem urbis reædificationem spectabant (s). 2do ab hoc initio usque ad Christum Ducem enumerat hebdomades 7, & hebdomades 62. Porro istæ hebdomades nonnisi annorum esse possunt; neque enim possunt esse dierum, quia summa illa hebdomadum 69. minime sufficeret ad ea omnia explenda, quæ ibi futura prædicuntur (t); multoque
mi-

(s) Tres quidem fuerunt Reges Persarum nomine *Artaxerxes*, scilicet *Longimanus*, *Mnemon*, & *Ochus*; sed *Nehemias*, qui hanc facultatem obtinuit, secundi, aut tertii *Artaxerxis* ætate in vivis esse non poterat; dicitur enim in Lib. I. *Esdræ* II, *Nehemiam* anno primo *Cyri* regis Persarum cum *Zorobabele*, aliisque reversum fuisse in *Jerusalem*: jam vero ab anno primo *Cyri* usque ad annum vigesimum *Artaxerxis Mnemonis* anni ad minus 150. effluerunt, multoque plures usque ad annum vigesimum *Artaxerxis Ochi*: nonnisi igitur de anno vigesimo *Artaxerxis Longimani* verba vaticinii intelligi possunt, *Accedit etiam auctoritas Flavii Jos. qui Lib. XI. Antiquit. Jud. cap. 5. Nehemiam se contulisse ait ad ædificandam Jerusalem, cum jam annum quintum, & vigesimum in regno ageret Xerxes. Xerxes autem anno regni sui quinto Artaxerxem Longimanum filium suum in regni consortium assumpsisse creditur.*

(t) Contendunt quidem *Rabbini* aliqui, hebdomades dierum ibi intelligi, quia *Nehemias* (ut legi-

minus esse possunt hebdomades decadum, jubilæorum, aut seculorum, ut quidam Rabbini pueriliter nugantur; tum quia nullum talium hebdomadum exemplum in SS. litteris extat, tum etiam quia septem hebdomades, quæ fluere debebant *ab exitu sermonis* usque ad ædificationem Jerusalem, *si essent decem annorum* constituerent 70. annos; & si essent Jubilæorum, 350; & multo plures, si essent sæculorum; quod cum Historia sacra pugnat. Sunt ergo hebdomades annorum, quarum exempla varia tam apud sacros quam apud prophanos scriptores invenimus; atque harum hebdomadum 7. intercedere debebant inter edictum regium, & ædificationem civitatis, dicente Angelo: *heb-*

Aa 5 *doma-*

legitur II. *Esdrae* VI. 15.) spatio 52. dierum muri ædificationem cõplevit, id est, hebdomadis dierum 7. cum dimidia. Sed in pluribus errant; Imo quod initium hebdomadum desumunt ab adventu Nehemiæ in Jerusalem, immo ab initio operis, cum tamen desumendum sit *ab exitu sermonis* &c.: 2do quod hebdomadibus 7. conjungunt allam postremam, quæ in vaticinio ponitur ad finem hebdomadum 69, & in ejus dimidio deficere debet & hostia, & sacrificium; 3tio quia si reliquæ hebdomades 62. dierum constituentur, non apparet, quomodo post illas sit occisus Christus, civitas, & sanctuarium dissipata, & cetera adimpleta, quæ ibi prædicuntur,

domades 7. & hebdomades 62. erunt, & rursus edificabitur platea, & muri in angustia temporum (u). Jam vero ex Lib. II. *Esdrae* habemus hujus partis vaticinii adimpletionem, scilicet Nehemiam cum maxima difficultate spatio quidem 52. dierum muros civitatis extruxisse, ut eam ab hostium incurfionibus tutam redderet; post autem plateas, domos, aliaque publica ædificia, ad quod opus certe multo plus temporis infumi oportuit, adeo ut 7. annorum hebdomades minime supervacaneæ videantur.

Continua-
tio ejusdem
materiae,

XVII. Superest igitur demonstrare, quomodo *ab exitu sermonis* &c. usque ad Christum Ducem hebdomades 7, & 62. annorum fluxerint; & quomodo in dimidio hebdomadis septuagesimæ Christus occisus fuerit. Ita autem rem conficit Nat. Alexander in *Differt. II. Hist. Eccl. V. T. Sextæ mundi ætatis*. Viginti annis regni Artaxerxis Longimani annus,
prout

(u) P. Houbigant suspicatur, textum hebraicum fuisse a librariis immutatum, atque ita fortasse legendum: *ab exitu sermonis, ut iterum edificetur Jerusalem, hebdomades 7, & rursus edificabitur late in sollicitudine, & in angustia temporum: & inde usque ad Christum Ducem hebdomades 62. erunt.* Certe sensus alius esse non potest.

prout Ufferius, aliique Chronologi statuunt, incidit in annum mundi 3550: his si annos 483. (quam summam conficiunt hebdomadæ 69.) addamus, habebimus annum mundi 4033, seu Æræ Christianæ trigesimum tertium, quo Christûs baptizatus fuit, & prædicationem suam auspiciatus est (x). Tunc vero incipit annus primus hebdomadæ septuagesimæ, in cuius dimidio, scilicet post 3. annos suæ prædicationis Christus occisus fuit.

XVIII. Neque vero hanc chronotaxim, ut omnino certam, atque infallibilem audemus proferre; scimus enim, alios, doctosque Theologos ei minime subscribere, & varios, ac diversos annorum calculos inire; quod in chronologicis quæstionibus sæpe usuvenire solet (y). Sed quid-

Certum est, hebdom. 70. jam effluxisse.

(x) Multi Chronologi ostendunt in æra vulgari Christiana quatuor deficere annos, & Christum anno ætatis suæ 33. fuisse baptizatum: quando autem S. Lucas III. 23. dicit, Jesum, cum baptizatus est, fuisse annorum quasi 30, putant, Evangelistam numerum rotundum, non autem accuratum designare voluisse, quod particula illa quasi seu circiter aperte indicat. Vid. Nat. Alexander Dissert. II. in Sec. I. Hist. Eccl. Quæst. 2.

(y) Nostræ temporum rationi suffragantur Chronologi nobiliores, & consuli de ea potest Nicol.

Au-

quidquid hujus rei sit, Rabbinos omnes fidenter provocamus, ut has hebdomadas nondum elapsas fuisse solidis argumentis demonstrent; quæ enim afferunt, quam futilia sint, & inania, inferius cap. IV. ostendemus.

Judæi dilatum fuisse Messie adventum comminiscuntur.

XIX. Refutato illo Rabbiorum errore, qui nullam fuisse putant determinatam adventus Messie epocham revelatam, breviter nunc alios refellemus, qui eandem revelatam quidem fuisse dicunt, sed postea aliquibus de causis dilatam. Tres autem hujus dilationis causas comminiscuntur; 1mo scelera, ac præcipue idololatriam Patrum suorum; 2do peccata hodierni populi Judaici; 3tio ut longa spe, dilataque expectatione populus missionem sui Liberatoris mereatur, atque obtineat. Difficile tamen haud erit, omnes istas causas explodere.

Refutantur ex promissionibus Messie absolutis.

XX. Et quidem 'contra' primam, & secundam satis est observare, promissiones toties repetitas Divini Liberatoris, præcipue autem illas, quas in hoc cap. commemoravimus, esse absolutas, nullique pror-

August. Chignoll Ord. Præd. Exercit. XXVII. in *Danielem*, ubi falsos esse magnorum virorum Petavii, Berti, Newtoni, aliorumque calceolos solidis animadversionibus ostendit, timide autem, & admodum modeste suos proponit.

prorsus conditioni alligatas: quo ergo fundamento fingunt Rabbini, eas propter peccata populi præterita, aut præsentia potuisse impediri, aut retardari? Afferunt illi quidem exempla nonnulla prædictio-
 num, quæ absolutæ videbantur, a quibusdam tamen implicitis conditionibus pendebant, quarum defectu adimpletæ non fuerunt, ut subversio Ninive, mors Ezechiaë, &c. Sed longe dispar est ratio; hæ enim prophetiæ erant comminatoriæ, quarum finis cum sit peccatores ad pœnitentiam excitandi, conditionem in se ipsis includebant, scilicet nisi pœnitentiæ operibus Dei justitia placaretur. Contra autem res se habet in prophetiis, quæ aliquod bonum promittunt; semper enim absolute intelligendæ sunt, nisi expressa apponatur conditio, ut in Psal. CXXXI. 1 r. Promissiones itaque Messiaë, utpote maximum Dei beneficium hominibus impertiendum continentes, nullam prorsus natura sua conditionem involvebant, nec ullam iis expresse appositam legimus: nulla igitur erat causa &c. Immo tantum abest, ut propter scelera earum adimpletio differri deberet, quin potius Messias venturus erat, *ut consummaretur peccatorum, & finem acciperet peccatum.*

Hinc

Hinc etiam Messias vocatus est *expectatio gentium*, quia idololatria, quæ late per omnes gentes grassabatur, per ipsum delenda erat.

Tum aucto-
ritate Rab-
binorum.

XXI. Hæc adeo aperta sunt, ut multi Rabbini tam prisca, quam moderni erroneam hanc quorundam opinionem de retardato propter populi scelera Messiae adventu acriter confutaverint. Celebris hac de re fuit disputatio inter R. Jeoscua, & R. Eliezer (quæ videri potest Tom. XVIII. *Theauri* Ugolini in Tract. *Taanid*, & in *Gemara Babyl.* edit. Cocceji Tract. *Sanhedrim.* excerpt. 31.); in ea enim R. Jeoscua has retardationis causas ita profligavit, ut adversarium ad silentium plane redegerit. Eundem errorem refellit R. Abarbanel, recentium Judæorum doctissimus in suo *Mascmiah Jescuah*, seu *Præcone salutis* (quem Jo. Henr. Majus latine versum edidit Francof. ad Mœnum ann. 1711.), multosque alios facile esset allegare. Immo potius aliqui contendunt, eam promissionem fuisse acceleratam, tum ex verbis Danielis: 70. *hebdomada abbreviata sunt*; tum ex aliis Isaie LX. 22. *ego dominus in tempore ejus subito faciam istud*; vel ut Hebræus legit, *festinare faciam*, aut *accelerabo*
il-

illud. Quem locum male, & arbitrato suo ita interpretatur R. Abarbanel: *si mereantur, accelerabo: si non mereantur, in suo tempore.*

XXII. Sed neque fingi potest, fuisse adventum Messiae dilatum, ut populus Judaicus gravissimas, quibus undique premitur, ærumnas tolerando eum recipere mereatur; sæpe enim ore Prophetarum testatus est Deus, se redempturum Israel, non propter merita ipsius, sed propter se ipsum tantum, & propter gloriam suam. Isaie XLVIII. II. *propter me, propter me faciam, ut non blasphemem, & gloriam meam alteri non dabo,* & Ezech. XXXVI. 22. *hæc dicit Dominus Deus, non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum,* & v. 32. *non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis: confundimini, & erubescite super viis vestris, domus Israel.* Hinc etiam Jeremias orabat, dicens XIV. 7. *Domine, fac propter nomen Tuum, quoniam multe sunt aversiones nostræ, Tibi peccavimus.* Id vidit etiam præter alios celebratissimus apud Judæos R. Isaac ben Abraham, qui in suo *Munimine fidei* (quod Wagenfeldius ex Codice MS. hebraice, & latine edi-

Messiae adventum Judæi promereri non possunt.

edidit, ac ceteris Judæorum libris perniciosius existimavit) ingenue confessus est, redemptionem humani generis non a meritis hominum, sed ab una Dei bonitate, & misericordia pendere.

Quod magis declaratur.

XXIII. Sed si etiam quis fingat, voluisse Deum ad humilitatem, & patientiam populi Judaici respicere, annon illius in omnes gentes dispersio, & longum per 18. fere secula exilium Dei Justitiæ placandæ sufficeret? annon tot tribulationes, persecutiones, & calamitates, quas ubique fere gentium quotidie perpeti coguntur? Vix sine animi commotione earum descriptio legi potest, quam R. Sam. usque nobis exhibet in suo libro: *Consolatio tribulationibus Israel*, an. 1553, & quas pariter narrat R. Menassè ben Israel in suo opere *Conciliator* (quod laude dignum, & variis eruditionibus repletum vocat Julius Bartoloccus in *Biblioth. Rabbin.*): præcipue cum has persecutiones se innocenter pati jactare soleant Judæi. Annon etiam multos se habere gloriantur viros pios, & justos, quorum preces Deus exaudire deberet? Si itaque hac de causa dilata fuisset Redemptoris missio, sperandum sane erat, jam diu advenisse tempus, quo Deus ad misericordiam

diam semper præclivis eandem adimpleviffet. Verumtamen tantum abest, ut ex magnis illis, quas patiuntur, ærumnis aliquam venturi Messiaë spem concipere possint Judæi, quin potius efficax inde argumentum prodeat, quo Messiam jam advenisse demonstretur; quod nos etiam inferius cap. VII. accurate pertractabimus.

C A P U T III.

Ex vaticinio Jacobæo, refutatis falsis ipsius interpretationibus, evincitur, Messiam jam dudum advenisse, eumque esse Jesum Nazarenum.

XXIV. **N**isi cum pervicacibus, & cavillosis hominibus res nobis esset, nihil plane facilius videretur, quam ex simplici illius vaticinii expositione demonstrare, Messiam jam dudum advenisse, eumque non alium esse, nisi Jesum Nazarenum. Patriarcha enim Jacob morti proximus filios suos congregans, ac singulis benedicens *benedictionibus propriis*, cum venisset ad Judam quarto loco natum, *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui. . . . non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de semine ejus, donec veniat,*

Id probatur ex obvio vaticinii sensu.

Gazzan. Theol. polem. B b niat,

niat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Naturalis, & obvius hujus benedictionis sensus se illico offert, scilicet sceptrum; hoc est politicam potestatem, & Legislatorem (nempe Magistratus, legum conditores, & custodes) in Juda perseverare debere, usque ad adventum Messiaë, & postea auferri; at vero nihil in historia testatius est, quam circa tempora Jesu Nazareni sceptrum fuisse a Judæis ablatum; unde consequens est, Messiam, qui mittendus promittitur, missum jam fuisse, eumque alium non esse, quam Jesum Nazarenum. Sed hoc ratiocinium omnino perspicuum multis, & variis cavillationibus Judæi obcæcati obscurare nituntur, quarum tamen nonnisi præcipuas huc afferemus.

Prima Judæorum cavillatio.

XXV. AC Imo cavillantur circa illa verba: *non recedet sceptrum; hebraice enim ita habetur לא יסור שבט lo jasur schebet; nomine autem schebet hoc in loco designari contendunt non virgam politicæ potestatis, quam sceptrum nominamus, sed potius virgam afflictionis; quasi Jacobus prædixerit, calamitates non recessuras a Juda, donec Messias advenerit: vocem autem schebet significare*

care virgam afflictionis colligunt ex XXI. Exodi 20. & XXIII. Prov. 13. (2).

XXVI. Negare tamen non possunt, vocem *schebet* multis aliis in locis sacr. litter. significare sceptrum, seu virgam potestatis, & auctoritatis; ut cum Amos I. 8. dicitur: *disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum (schebet) de Ascalon; & Zachariæ X. II. sceptrum (schebet) Ægypti recedet.* Jam vero hoc loco *schebet* designare *virgam auctoritatis*, manifestum fit imo, quia Jacobus posteris Judæ non tristia, sed fausta ominatur: 2do quia ibidem addit: & *Dux de semore ejus*, hebraice: מֶלֶךְ מֵחֹקֶק *Mechokek Legislator*, ut ita Jacob imperium futurum in Juda expressius significaret utrumque conjungendo, scilicet summum imperium, & jus ferendi, atque interpretandi leges: 3tio, quia in tribus authenticis *Targumim*, scilicet Onkelosi, Jonathanis, & Jerosolymitano, tum in antiquissimis versionibus Syriaca, Arabica, Æthiopica, Aquilæ, Symmachi, atque Alexandrina (quæ omnium vetustissima habetur, & 300. ferme annis an-

Expansitur.

B b 2

te

(2) Ita aliqui Rabbini apud Wagenseillum in *Consut. Carminis Lipmanni Tom. I. Tela igneo Satanae p. 327.*

te Christum condita (*schebet*) sumitur pro sceptro potestatis: 4to quia id non diffitentur sapientiores Rabbini, ut Abenezra, Salomo Jarchi, aliique non pauci. Demum quamquam etiam ante Christum pluribus magnisque calamitatibus populus judaicus propter peccata sua fuerit obnoxius, certum tamen est, sub multis piis Regibus eundem opibus, potentia, gloria floruisse: ut proinde nullatenus dici queat, meras calamitates, & ærumnas fuisse Iudæis usque ad adventum Messiae a Jacobo prædictas.

Altera cavillatio exploditur:

XXVII. Multo infelicius pauci quidam Rabbini explicant, seu potius pervertunt alia verba לֹא יִסּוּר לֹא *lo iasur*, quasi non significant: non *auferetur*, sed potius *non accedet sceptrum*, ut sensus fit, tunc demum regnum ad tribum Juda accessurum, cum venerit Messias: quod in Davide adimpletum est. Falsam, & absurdam hanc esse interpretationem vel ex eo solo liquet, quod cum verbo יִסּוּר *sur* jungatur particula מִיְהוּדָה *min*, hoc est, *de Juda*, ut proinde nullatenus dici possit, *sceptrum accessurum ad Judam*.

Tertia Rabbiorum ineptia.

XXVIII. Ineptiunt pariter illi Rabbini, qui ita verba Jacobi coordinant: sceptrum a Juda non auferetur in æternum,

num, quando venerit *schiloh*, nempe particulam ךַ ף *hadchi*, quæ significat *donec*, in duas dividunt, quarum prior *æternitatem* explicat, altera *quando*; dividendam autem esse eam particulam volunt propter accentum *Jethibh*. Ineptunt, inquam; & imo satis refelluntur ab antiquissimis versionibus, quæ constanter per hanc particulam *hadchi* intellexerunt *donec*, vel *quousque*. 2do accentus *Jethibh* signum distinctionis non est, quotiescunque immediate ante reperitur *atnaçta*, ut hic reperitur. Quamquam piget in frivolis his subtilitatibus tempus terere, ad quas confugientes Rabbini deploratam esse suam causam ostendunt; & satis mirari non possumus, hanc explicationem placuisse Sam. Basnagio in *Annal. Politico - Eccles.* an, ante Dom. 40. n. 24.

XXIX, Majoris difficultatis fortasse erit illa verba explicare מרי׳ רגליי, quæ nostra vulgata vertit *de fæmore ejus*, de verbo autem ad verbum verti debent *de inter pedes ejus*; unde occasionem arripuerunt Rabbini ita hunc locum interpretandi: *non deerunt Doçtores inter Judeos, ad quorum pedes discipuli se-deant, donec veniat Messias*; hoc au-

Quid significent ea verba de inter pedes ejus?

tem adhuc apud Judæos vigere contendunt, atque hinc colligunt, Messiam nondum advenisse. Futilis tamen hæc interpretatio est, & nimis procul petita. Quamvis autem Christiani in proprio eorum verborum sensu non omnino consentiant, admodum probabilis illorum interpretatio videtur, qui id explicant de legislatoris naturali nativitate ex progenie Judæ, quam modeste hac phrasi indicatam volunt (a). Nec etiam sua probabili-

li-

(a) Jo. Harduinus in *Chronologia V. T.* huic interpretationi suffragatur; sed merito eruditus displicet, quod ibidem addit: *erunt ex Juda Reges, Principes, Duces, nec defuturi sunt ex ea Regum stirps primogeniti masculi ex masculis ejusdem familie nati, qui sint propterea hæreditario jure, & si non semper factò, ut Jureconsulti loquuntur, Reges, ac Duces populi; donec veniat, appareatque is, qui mittendus est, ut sit Dux, & Salvator populi sui &c.* Unde enim probat Harduinus, ad masculos primogenitos eam prophetiam pertinere, & reipsa omnes Reges, ac Duces in Juda fuisse primogenitos? Deinde cum solum jus etiam sine factò ad prophetiæ adimpletionem sufficere putat, non videt, se arma Judæis suppeditare, qui jus ad sceptrum sibi adhuc competere asserunt, quamquam factò illius possessione spoliati sint. — Neque illorum sententia probari potest, qui ut difficultatem tollant, hebræos codices hic vitiatos esse dicunt, & loco רגלן Raglau legendum putant cum codice Samaritano רגלן

Dag-

litate caret illorum interpretatio, qui attendentes ad verba præcedentia: *catulus leonis Juda - - - requiescens accubisti ut leo &c.*, putant, nobili figura hic representari tribum Juda, quasi leonem cubantem, & pedum amplexu tenentem sceptrum, & legislatorem. Sed quidquid sit, ex horum verborum obscuritate nihil solidi erui potest contra prophetiæ adimpletionem, quæ in ceteris nimis ex se patens est, & manifesta.

XXX. Difficultate etiam non caret significatio verbi *שילוח* *schiloh*, in cujus radice investiganda multum laborant hebraicæ linguæ periti; qui tamen non tam usum, quam vim, & potestatem hujus vocabuli iudicare videntur. Si itaque verum hujus vocis in hoc loco significatum quæramus, minime dubium est, ibi intelligi Messiam, qui toties mittendus promittitur; unde nostra vulgata habet: *qui mittendus est*; quomodo Moyses aiebat Exodi IV. 13: *obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* Hoc sensu eam intellexerunt tria *Targumim*, anti-

Et quid vox Schiloh?

Bb 4

quæ

Daglau, id est, de vexillis ejus; neque enim codicis Samaritani tanta est auctoritas, ut ex ea solo vitiatos esse codices hebræos probari possit.

quæ versiones, atque etiam veteres Rab-
bini, ut videre est apud Jo. Christoph.
Wagenseilium in Dissert. peculiari *de loco*
Gen. XLIX. Immo nec dissentiunt plerique
recentiores; sed in hoc solum errant,
quod hujus vocis significatum non Jesu
Nazarenó applicant, sed ad alios detor-
quent; ut R. Abenezra, qui eo oraculo
regnum David præfigurari commentus est,
ita Jacobi vaticinium explicans: *non re-
cedet sceptrum eminentiæ a Juda, donec
venerit David, quod est principium re-
gni judaici.* At vero, præterquam quod
nihil insulsius hoc sensu fingi potest, cer-
tum est etiam, finem regni judaici ibi
significari, non autem initium regni Davi-
dici (b).

Vocatio
gentium
prædicta.

XXXI. Superest demum, ut postrema
illius vaticinii verba maxime notanda,

ex-

- (b) De origine vocis שִׁילָה *shilah* variz sunt eru-
ditorum sententiæ, sed duæ probabiliorez vi-
dentur. Prima eam repetit a cognata voce
שִׁלָּה, quæ *secundinam* significat Deuteron.
XXVIII. 57, eamque vertunt *filium ejus*;
quam significationem adoptavit Targum Jona-
thanis, inquiring: *Rex Messias parvus filius il-
lius*; altera a שָׁלֵם *tranquillus, pacificus*, quod
Messiæ *παρ' ἑξοχῆν* convenit, qui dictus est
Princeps pacis. Plura dabit Jo. Morinus in
Append. *de Locis hebraei textus restitutis*
capp. 2, & 3.

explicemus וְלוֹ עַמִּים יְקָרָה & *ipse erit expectatio gentium*, vel ut alii vertunt, & *ipsi congregatio populorum*, vel & *ipsi obedientia populorum*; hæc enim omnia fere in idem recidunt, & significant vocationem gentium ad veram Religionem, quæ sæpius a Prophetis, immo ab ipso Christo prædicta fuit, & reipsa etiam subsecuta est. Neque ab hoc sensu abhorrent Rabbini, in eo tamen vehementer errant, quod putent, Messiam dominaturum gentibus dominatu temporali; sed inferius cap. VI. luculenter demonstrabitur, regnum Messiae a Prophetis prædictum nonnisi spirituale esse debuisse.

XXXII. Hactenus de Judæorum cavillationibus, quibus genuinum Jacobæi vaticinii sensum pervertere conantur. Nunc de alia difficultate haud levi dicendum est, quam Rabbini recentiores maximopere urgere solent, contendentes, illud multis ante Jesum Nazarenum annis exitum habuisse, scilicet quando Judæis in captivitatem adductis, & mortuo Sedecia Rege regnum Judæa plane cessavit. Et quamquam soluta captivitate babylo-

Quomodo
sceptrum in
tribu Judæa
persevera-
verit?

fuit, usque ad Aristobulum, qui teste Josepho Lib. XIII. *Antiqu. Jud.* cap. I. E. annis 481. post babylonicam servitutem primus sibi diadema regium imposuit. Fuerunt quidem ante eum Duces Assamonæi, sed hi ex tribu Levi erant (c).

Explicatur
cum Duguet
tio.

XXXIII. Non una est, nec omnino plana hujus difficultatis solvendæ via apud eruditos; sed doctissimus Duguet Tom. I. *des Principes de la foi Chrét.* ch. 9. nodum hunc ita quam facillime solvit. Observat, nomine sceptri tribui Juda promissi non intelligi supremam auctoritatem in tota Hebræorum republica, qualem Reges olim obtinuerunt, sed illam, quæ unicuique tribui propria erat, ut scilicet suis regeretur legibus, suosque Magistratus, ac Principes haberet, quorum frequens est in Historia Judæorum mentio. Quando itaque Jacob benedicens Judæ, qui quartus erat ipsius filius, dixit: *Juda, te laudabunt fratres tui - - non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus est, non ipsi promisit regium sceptrum,*
seu

(c) Ita opponunt R. Lipmannus in *Carmine*, & in *Nizzachon*, R. Isaac ben Abraham in *Munimine fidei*, R. Nachmanides in *Disput. cum F. Paulo*, & alii.

seu supremam in toto Israel auctoritatem; alioquin debuisset statim eandem consequi, & exercere usque ad adventum Messiae; cum tamen constet, initium regiae, & supremæ auctoritatis in Juda nonnisi a David factum esse.

XXXIV. Duo ergo Jacob iis verbis Judæ promisit: imo præminentiam illius tribus super ceteras, quam etiam statim obtinuisse videmus; nam jubente Domino, ut singuli Duces per singulos dies offerrent munera in dedicationem altaris, primo die obtulit oblationem suam Nahasson de tribu Juda *Num. VII. II.* & sequ. & sic etiam Dominus interrogatus, quis primus ascenderet contra Chananeum, respondit, *Judas ascendet* Judic. I. Hæc prærogativa non alia de causa tribui Juda competere poterat, quam ex benedictione Jacob. Altera promissionis pars in *αὐτονομία* sita erat, qua tribus Juda constanter, ac perpetuo usque ad adventum Messiae sua jura retineret, quibus scilicet se ipsam, propriis legibus regeret, suosque Principes, ac Magistratus haberet. Hæc autem promissio re ipsa adimpleta fuit; scimus enim, decem tribus Israel, quæ se a Juda separarunt, fuisse tandem a Regibus Syriæ in

Profecutio
explicatio-
nis.

captivitatem abductas, & inter gentes dispersas, eosque, qui variis modis se a captivitate subtraxerunt, fuisse cum tribu Juda commixtos: tribum etiam Benjamin, partem item tribus Simeon, pluresque Levitarum familias ita fuisse tribui Juda quasi insertas, ut post schisma decem tribuum illi Hebræi, qui Roboam fideliter adhæserunt, non alio, quam *Judeorum* nomine appellarentur. Hinc est etiam, quod dicitur III. *Regum*. XII. 20: *nec secutus est quisquam domum David* (scilicet Roboam Regem) *præter tribum Juda solam.*

Sceptrum
tandem fuit
a Juda ab-
latum.

XXXV. Ita exposito benedictionis Jacobææ sensu longe evidentissimum est, sceptrum in tribu Juda perseverasse usque ad adventum Messæ, seu Jesu Nazareni; nam tunc solum Judæa a Romanis subacta, atque in provinciam redacta-cœpit tribus Juda parte suorum jurium exspoliari, donec Jerusalem sub Tito everfa, fuit hæc ipsa infelix tribus toto orbe dispersa, & ita quidem, ut nulla amplius ei supersit pristinæ dignitatis, atque auctoritatis forma; immo nec a ceteris distinguatur; ita enim, fatentibus omnibus sunt perturbatæ genealogiæ, ut non solum modo ignorent Hebræi, de qua familia, sed etiam

etiam de qua tribu sint; vel saltem id certis documentis ostendere nequeant (d).

XXXVI. Non tamen hoc loco omittere debemus aliam Theologorum responsionem difficultati §. XXXII. objectæ. Imo autem observant, quod Rabbini urgent de cessatione regni in captivitate babilonica, leve esse, cum hæc captivitas juxta prædictionem Jeremiæ cap. XXIX. brevi duratura esset, & potius suspensio, quam ablatio sceptri dicenda sit. In ipsa etiam captivitate Judæi suis legibus regebantur, neque ut mancipia, sed potius ut nova colonia ad augendum civium numerum Babilone debebant: erant quoque inter ipsos Principes dicti *ἰσχυροτάται*, qui captivis præerant: ac demum apud Judæos fuisse jus vitæ & necis, colligitur ex Hist. Sossannæ Dan. XIII.

In captivitate Babil. sceptrum non penitus ablatum fuit.

XXXVII. Quantum autem spectat ad posteriora Reipublicæ Judaicæ tempora, de qui-

Multoque minus post captivitatem.

(d) Hic modus explicandi vaticinium Jacobæum fuit postea a Th. Sherlock in Dissert. II. annexa operi *de l'usage, & la fin de la prophétie*, admodum illustratus, quamquam prius a Daniele Hueticio *Demonstr. Evang. Prop. IX. cap. 4.* fuerat indicatus, & fufius etiam explicatus a Jac. Basnagio *Hist. des Juifs Lib. V. ch. 4.* edit. in 12mo Hagæ 1716.

quibus solis difficultas esse potest, contendunt, in tribu Juda permanfisse fceptrum, fi nomine illius intelligatur non regia dignitas, fed duntaxat abfolutum imperium, quo quælibet refpublica in fuos fubditos utitur. Poft folutam enim captivitatem hoc imperium exercuit Zorobabel, cui fuccefferunt Efdras, Nehemias, aliique de tribu Juda, donec ad Affamonæos, feu Machabæos delatum fuit, qui erant ex tribu Levi. Sed tunc etiam fceptrum in tribu Juda permanfiffe dicendum erit, fi formam regiminis judaici confideremus, quæ erat mixta ex Aristocratia, & Democratia (ut patet ex Lib. I. *Mach.* XII. 6, & XIII. 7.). Cum enim tribus Juda multo potentior effet, quam reliquæ, fynedrion, in quo fuma refidebat imperii potestas, tum major etiam populi pars ad tribum Juda pertinebat. Nec denique defunt, qui nomine *Juda* hic non intelligunt peculiarem tribum, fed totam Hebræorum nationem: quæ fententia placuit Pererio, Petavio, Cafaubono, Spanhemio, aliisque eruditis, & fi vera effet, facile fceptrum in Juda ufque ad adventum Meffæ confervatum fuiffe monftraret.

XXXVIII. Ceterum nemini negotium accessere debet harum opinionum diversitas, quæ non ad ipsam rei substantiam pertinet, sed ad aliquas tantummodo circumstantias: in omnibus autem fere prophetiis aliqua semper invenitur obscuritas, ut omnes circumstantiæ accurate determinari, explicarique non possint; quamquam id, quod caput est, & scopus, satis perspicuum sit. Sic in hoc celebri vaticinio perspicue apparet 1mo, promissum fuisse Messiam: 2do eum oriturum ex tribu Juda: 3tio Messia adveniente sceptrum esse a Juda auferendum: quæ omnia accurate fuisse adimpleta tempore Jesu Nazareni, luce meridiana clarius est.

Theologorum hac in re dissentio minime obest.

XXXIX. Deridendos autem se omnibus præbent Rabbini, dum sceptrum in gente judaica adhuc conservari comminiscuntur in remotissimis quibusdam Orientis partibus, ut refert Buxtorfius in Præfat. ad librum *Cosri*, ad quas tamen accessus minime patet propter *sabbaticum* flumen, cujus ea natura est, ut nonnisi die sabbati, quo peregrinari Judæis prohibetur, pertransiri possit. Ejusdem generis sunt, quæ R. Benjamin Tudelensis in suo *Itinerario* narrat de magna Israeli-

Rabbinarum commentum de Judæorum regno.

tarum multitudine, qui in amenissimis locis ab omni aliorum societate remotis, & propter vastissimas solitudines interjectas aditu difficillimis sub Principibus e tribu Juda oriundis felicissime vivunt. Porro his, quæ Rabinorum genium sapiant, aliquam auctoritatem conciliare se posse putavit R. Gedalia, cum an. 1533. solemnis legatio a David Rege Æthiopiæ ad Clementem VII. R. P. missa fuit; ex hebræo enim Regis nomine, tum ex aliquibus aliis levibus conjecturis, præcipue autem ex circumcisionis lege ab iis populis observata proclive statim fuit colligere, eam totam gentem esse hebraicam (e).

Exploditur. XL. Sed brevi impostura detecta fuit, & omnibus palam factum, Æthiopes origine Hebræos non esse, quamquam circumcisionem, uti nonnulli alii populi, adhibeant: quod inter alios liquido demonstravit Ludolphus in *Comm. in Hist. Æthiop.* Sed si quis hujusmodi næniis, putidisque fabu-

(e) Vix credibile esset, Judæos ad similes fabellas confugere, nisi hæ legerentur in eorum libris, ut in *Igheret Orechod Olam* Peritzoli. Confer Julium Bartolocci in Tom I. *Biblioth. Rabbin.* ubi plusquam par esset, operam dat huic commentitio figmento explodendo.

bulis delectatur, adire poterit præter Buxtorfiam laud. loc., & in Epist. ad Spizel. Tom. XIV. *Amanitat. Liter.* Schelhornii, Jul. Bartoloccium Tom. I. *Biblioth. Rabbin.*, & Th. Hyde in Notis ad *Ighered orechod olam* Tom. VII. *Thesauri* Ugolini. Ceterum omne imperium a Judæis jam diu defecisse, totamque infelicem nationem ubique dispersam alienis Regibus servire, fatentur cordatiores Rabbini, ut necesse non sit, in his, aliisque id genus commentis refutandis diutius immorari.

XLI. At quomodo, inquiet aliquis, tempore Jesu Nazareni sceptrum de Juda ablatum dici potest, cum adhuc penes gentem judaicam jus vitæ, & necis superesset? Pilatus enim Judæis ejus mortem petentibus respondit: *accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum*, Jo. XVIII. 31. Stephanus etiam fuit a Judæis lapidatus, Apostoli in vincula conjecti, ac Christiani variis modis vexati. Hæc omnia nihil aliud probant, quam aliquod antiquæ potestatis apud Judæos remansisse vestigium, non autem illam, quæ proprie *sceptri* nomine designatur; hæc enim tota cessavit, postquam Judæa fuit a Romanis in provinciam *Gazzan. Theol. polem.* C c ciam

Tempore J.
C. sceptrum
a Judæis
ablatum.
erat.

ciam redacta. Verba autem Pilati potius significant, voluisse eum Judæis potestatem judicandi Christum concedere; hanc enim se non habere ibidem testati sunt, dicentes: *nobis non licet occidere quemquam.* Lapidatio Stephani non judiciaria potestate, sed potius tumultuario impetu a Judæis facta est, ut colligitur Act. VII. 56. Persecutiones denique Christianorum potius violentiæ, quam auctoritati tribuendæ sunt. Ceterum si quid supererat apud Judæos precariæ potestatis, id totum postea penitus sublatum fuit: nec in hujusmodi prædictionibus tempus *mathematicæ* notari solet, sed potius *moraliter*.

Nova ob-
jectio, sce-
ptrum ante
J. C. jam
defecisse.

XLII. Quidam adhuc vaticinium Jacobæum longe ante Jesum Nazarenum fuisse completum ita probare contendunt. Quemadmodum promissum fuit, *non auferendum sceptrum de Juda, donec veniret, qui mittendus est*, ita inferius v. 22. & sequ. prædictæ fuerunt omnis generis benedictiones tribui Joseph, *donec veniret desiderium collium æternorum*; quo fit, ut eadem statuatur epocha cessationis sceptri in tribu Juda, ac benedictionum in tribu Joseph: at vero benedictiones promissæ tribui Joseph multo an-

ante J̄sum Nazarenum cesserunt, quando illa simul cum aliis fuit a Salmanasare in captivitatem abducta, & inter gentes dispersa: ergo &c.

XLIII. Hęc difficultas facile tollitur, si originalem hebraicum textum consulamus; in illo enim ita habetur: ברכת אבִיךָ גברו על - ברכת הורִי עַד תַּאוֹת גִּבְעַת עוֹלָם: hic autem textus literaliter sic verti debet: *benedictiones Patris tui prevaluerunt super benedictiones genitorum meorum usque ad terminum* (seu desiderium) *collium sæculi*: particula autem illa עַד usque intelligi debet in sensu exclusivo, ut significetur, benedictiones Joseph futuras majores benedictionibus aliorum fratrum suorum, excepta tamen prærogativa originis Messiae, quæ Judæ promissa fuerat. Ceterum P. Car. Franc. Houbigant, ita hunc locum vertit: *benedictiones Patris tui præstantiores sunt benedictionibus montium; donec erunt vota collium æternorum illæ aderunt in caput Joseph, in cervicem ejus, qui Rex est fratrum suorum*: & quoniam benedictiones Joseph certe tamdiu duraturæ non erant, quamdiu erunt montes, & colles, vult P. Houbigant, Jacobo in mente fuisse alterum

Rnodatur.

rum Joseph, nempe Christum in eo præfiguratum. Porro LXX. Interpretes sic habent: *εὐλογίαι πατρὸς σου, καὶ μητρός σου ὑπερίχυσεν ὑπερ εὐλογίαις ὄρεων μονίμων, καὶ ἐπὶ εὐλογίαις θινῶν ἀενάων κ τ. λ.*; id est, *benedictiones patris tui, & matris tue præstantiores sunt benedictionibus montium stabilium, & benedictionibus collium æternorum*: quæ lectiones si admittantur, corrui tota vis argumenti.

Rabbino-
rum som-
nia.

XXXXIV. Neque operæ pretium est multum temporis infumere in iis confundendis Rabbini, qui in Jacobæo vaticinio aut Davidem, aut Saulem, aut Jeroboam, aut Ahiam Silonitem, aut alios quosdam designari comminiscuntur. Imo enim hæc omnia conciliari nequeunt cum promissione sceptri perseveraturi in tribu Juda usque ad adventum Messiae. Deinde antiqua Judæorum traditio hoc vaticinium semper ad Messiam retulit, §. XXX. Insulse postremo R. Bechai Cabbalista ex regulis Gematriæ nomine *schiloh* intellexit *Moysem*, cum in utroque nomine numerus 345. exhibeatur, & cum Moyfes sceptrum Judæ abstulerit, imperio in totum Israelem sibi arrogato. Contra hujus Rabbini, alio-

rum-

rumque somnia vid., si placet, Huetius in *Demonstr. Evang.* Propos. IX.

XXXXV. Unus adhuc restat scrupulus, facile tamen eximendus, scilicet Christum Dominum, Apostolos, & Evangelistas, cum multa allegaverint veterum Prophetarum oracula, de hoc Jacobæo vaticinio alte siluisse. Sed leve hoc est, cum certum sit, non omnia, immo nec multa veterum Prophetarum oracula fuisse a Christo, vel sacris scriptoribus distincte, & propriis verbis recitata, sed potius generatim Judæos remissos ad scrutandas Scripturas; unde etiam Christus inquit Jo. V. 39. & sequ.; *scrutamini scripturas . . . & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me . . . si crederetis Moyse, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Addi etiam potest, vaticinium Jacobi de ablatione sceptri a Juda Christi ætate adimpleri quidem cœpisse, non fuisse autem omni ex parte consummatum: vel saltem potuisse tunc temporis adhuc sperari sceptri restitutionem, & restaurationem reipubl. judaicæ, quomodo sæpius jam contigerat; quæ spes post 17. & amplius secula jam evanuit.

Levis scrupulus eximitur.

C A P U T IV.

*Ostenditur, Danielis vaticinium fuisse
in Jesu Nazareno adimpletum.*

De Danie-
lis vatici-
nio.

XXXXVI. **Q**uamquam id⁷ cenferi po-
test superius cap. II.
jam confectum, quia tamen illæ tempo-
ris Danieli ab Angelo prædicti supputa-
tiones quandam videntur obscuritatem
involvere, independenter ab illis osten-
dendum nobis erit, nonnisi Jesu Naza-
reno ea convenire, quæ in celeberrima
illa prophetia continentur. Hoc autem
ut luce solari clarius palam fiat, singula
illius membra exponenda sunt, & a fal-
sis Rabinorum interpretationibus vindi-
canda.

Explican-
tur prima
ejus verba.

XXXXVII. Primo itaque ibidem di-
citur: *septuaginta hebdomadæ abbrevia-
tæ sunt* (hebr. נחתך *decisæ sunt* (f) *su-
per*

(f) Id est, *definitæ*, ac *determinatæ*; non autem, ut
quidam cum Huetio volunt, eo sensu *abbreviatæ*,
ut dies, menses, & anni ceteris breviores fu-
turi essent, & lunares, non solares designentur;
verbum enim hebraicum נחתך has interpreta-
tiones non patitur. Multo autem minus fe-
renda est sententia Harduini, qui ut textum
Da.

per populum tuum, & super urbem sanctam tuam: id est, placuit Deo pro misericordia sua Danieli revelare, fuisse tempus *abbreviatum*, vel *determinatum*, ut *consummetur prævaticatio*. (vel ut textus hebr. exprimit לכלא הפשע *cohibeatur prævaticatio*) & *finem accipiat peccatum*, & *deleatur iniquitas* (hebraice ולכפר עון *ad expiandum iniquitatem*) & *adducatur justitia sempiterna*. Porro cæcus est, qui non videat, hæc omnia nonnisi ei convenire, qui venit ad tollenda mundi peccata; quemadmodum etiam Isaias prædixit cap. LIII., & adimpletum vidit Joannes Christi præcursor Jo. I. 29, & qui κατ' ἔξοχὴν vocatus est *justus*, vel *justitia* a Prophetis Jerem. XXIII. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*; vel ex hebraica phrasi *Dominus justitia nostra*. Suffragantur nimia rei evidentia convicti etiam plures Rabbini, ut R. Isaac ben Israel in *Munimine fidei* cap. 42., Rabbini Mo-

Danielis suæ chronotaxi accommodet, 70. hebdomades *abbreviatis* intelligit pro *decurtatis*, easque ad 63. redigit. Si verbum Vulgatæ retinere velimus, potius dicendum erit, fuisse adventum Messie acceleratum ad 70. hebdomades, cum potuisset ad longius tempus differri.

ses Hadarsam, & Levi ad hunc locum Danielis, & R. Berachias ad illa verba Isaiaë XLV. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum.* Atque ab hoc solo justo poterat iniquitas hominum expiari, ut in *Theol. dogm. P. V. cap. X.* declaratum fuit.

Quid sit
impleri vi-
sionem, &
prophe-
tiam?

XXXXVIII. Addit postea Angelus Gabriel: & *impleatur visio, & prophetia;* in hebræo autem legitur ולחתם חזון ונביא & *obsignetur visio, & Propheta:* sed utriusque lectionis idem est sensus, scilicet in Messia esse adimplendas omnes visiones, & prophetias, quia erat omnium vaticiniorum finis: quod ita est evidens, & Rabbiniis ipsis compertum, ut longam orationem non desideret. At vero in Jesu Nazareno fuisse omnia oracula impleta præter ea, quæ hæcenus dicta sunt, manifestius adhuc fiet in sequ. Nec audiendus est R. Abarbanel, qui verba illa, *obsignetur visio, & Propheta* explicat de *occultatione prophetiæ;* *obsignatio* enim, de qua hic sermo est, idem significat, ac *confirmatio*, quæ fit per appositionem signi, vel sigilli.

Quis sanctus sanctorum?

XXXXIX. Sequitur deinde: & *ungatur sanctus sanctorum,* vel hebraice קדש קדשים *sanctum sanctorum,* aut etiam
san-

sanctitas sanctitatum, quæ phrasis perperam a quibusdam Rabbiniis ad templum refertur, seu *sanctuarium*, quod certe adveniente Messia ungi non debebat, sed everti, & destrui, ut mox videbimus. Designat ergo ipsum Messiam, qui idem est, ac *χεῖρος*, seu *unctus*, & dici potest *sanctus sanctorum*, quia excellentior est omnibus sanctis, utpote ipsa sanctitas divina. Hinc etiam Syrus interpres vertit: *usque ad unctum sanctum sanctorum*.

Christus
occidendus.

L. Postquam vero Angelus revelavit Danieli tempus, quo urbs Jerusalem cum mœniis, & plateis reædificanda erat, scilicet hebdomades 7, & deinde tempus hebdomadam 62. usque ad *Messiam Ducem*, dicit: & *post hebdomades 62. occidetur Christus*, vel secundum literam hebraicam *כרת משיח* *excindetur Christus* (g); quorum verborum sensus ob-

Cc 5

vius

(g) Versio quidem LXX. Interp. ita habet: *ἐξολοθρευθήσεται χεῖρμα exterminabitur natio*, sed minus fideliter, ut S. Hieronymus in hunc locum notavit; quod mirandum non est, utpote quia versio illa, quæ nunc prestat, a Theodotione facta fuit Judæorum profelyto: versio autem LXX viralis non ita pridem e Christiano codice antiquissimo Romæ edita aliter omnino habet. Hinc fortasse deceptus est Eu.

vius, & literalis mortem designat, quā Jesus Nazarenus verus Messias a Judæis affectus est juxta Prophetarum oracula, præcipue autem Isaïæ, qui mortem Jesu Christi non tam ut futuram prædixisse videtur, quam ut præteritam, vel præsentem enarrasse.

Reprobatio
Judæorum.

LI. Sed notatu maxime digna sunt verba sequentia : *& non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Quamquam autem in nostris hebræis codicibus duntaxat dicatur *לֹא יִהְיֶה* & non ei, conjectare tamen facile possumus, in priscis illis codicibus, quibus S. Hieronymus usus est, hæc verba reperta fuisse, ad designandam reprobationem Judæorum a multis aliis Prophetis prædictam, inprimis autem Oseæ I: 10 *dicetur eis, non populus meus vos.* Retenta tamen hebraica lectione illa verba: *& non ei* significare possunt *non sibi,* vel *non sui causa,* nempe Christum propter scelera nostra, ac propter nostram utilitatem occisum fuisse; quomodo etiam de eo Isaïas dicebat LIII. 8. *abscissus est*
de

Eusebius, dum Lib. VIII. *Demonstr. Evangel.* hæc verba non de Christo, sed de ordine Sacerdotum, & Pontificum intellexit, quorum series post Christum defecit.

de terra viventium, propter scelus populi mei percussit eum; unde græci quoque interpretes reddiderunt *ὅτι κείμα ἔκ' ἐστὶν ἐν αὐτῷ* & nullum in eo crimen: alii vero significari putant, nullum Christo patienti auxiliatorem fuisse; reipsa enim ab omnibus derelictus fuit.

LII. Tandem prophetia concluditur Prophetia
conclusio. terribili illa comminatione: & civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo . . . & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio; cujus comminationis exitum infelices Judæi experti sunt, quando Romani sub Duce Tito eos suprema clade affecerunt, civitatem ferro, flammaque vastarunt, & quando templum ipsum incensum fuit, ac solo æquatum. Quia in re ut clarius divini oraculi vis apparet, ex historia constat, omnem operam a Tito adhibitam fuisse, ut stupendum illud ædificium a communi ruina præservaretur; frustra tamen, nullo enim modo flammarum, seu potius divini furoris vis cohiberi potuit. Et hæc quidem desolatio, ut vaticinium ferebat, finem non habet, cum ab 18. fere jam sæculis Judæi

dæi patriis sedibus expulsi sine rege, sine templo, sine sacerdotio, sine sacrificiis ubique extorres aliis Principibus servire cogantur, magnis ubique calamitatibus oppressi.

Vetus fœdus antiquum, & novum statutum.

LIII. In medio autem terribilis istius comminationis hæc verba leguntur: *confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium;* priora verba nihil aliud significant, nisi fœdus novum, quod Christus instituit, & quod luculentius fuerat etiam a Jeremia prædictum XXXI. 31. *ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, secundum pactum, quod pepigi cum Patribus vestris dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum &c.* Posteriora vero declarant, Christi sacrificio abolita, fuisse sacrificia veteris legis, quæ ipsius figura erant. Atque ut certius appareret futura horum sacrificiorum abolitio, prædicatur etiam destructio templi, in quo solo Hebræis licebat Deo litare. Hæc omnia si simul considerentur, nullum plane dubium relinquunt, vaticinium Danielis spectare promiss-

missum in lege Messiam, ac fuisse in Jesu Nazareno plene, & adæquate impletum.

LIV. Innumera plane sunt Rabbinorum effugia, ut invicti hujus argumenti vim declinent; & quamquam omnes in eo consentiunt, ut Jesum Nazarenum ab Angelo minime designatum esse velint, mire tamen inter se dissentiunt in vero vaticinii sensu determinando; alii enim cum R. Salomone in *Exposit. sup. Daniele* illud ad Cyrum referunt, qui *Messias* ab Isaia XLV. 1. dictus est; alii cum Abenezra ad Nehemiam; alii ad Zorobabel; alii ad Regem Agrippam II. Sed ineptiunt omnes, nam præterquam quod ita laborant in chronotaxi septuaginta hebdomadam hujusmodi personis adaptanda, ut exitum nullatenus invenire queant, nemini etiam earum ea convenire possunt, quæ de Messia Gabriel Danieli prænu-
ciavit. Ecquis enim istorum dici poterit *sanctus sanctorum*? Sub quonam *expiata est iniquitas terræ*? quandonam *obsignata est visio, & prophetia*? quomodo *defecit hostia, & sacrificium*? quisnam *civitatem, & sanctuarium dissipavit*? Ac demum quo tempore secuta est *abominatio desolationis usque ad consumptionem, & finem perseveratura*, nisi

post

Rabbinorum falsæ interpretationes refelluntur.

post occisum Jesum Nazarenum, quem ut verum Messiam obcæcata Judæorum natio agnoscere detrectavit?

Inepta
Abarbanelis
interpretatio.

LV. Multo magis ineptit R. Abarbanel, dum in hac prophetia non *Messiam Ducem* post 62. hebdomades excindendum videt, sed potius populum in captivitatem redigendum, si post hoc temporis intervallum a peccatis non resiperet; quasi scilicet oraculi sensus hic sit, adhuc per 70. hebdomadas voluisse Deum patienter expectare populum ad pœnitentiam, iis autem exactis durissimæ captivitati, omnisque generis miseriis esse subjiciendum usque ad adventum Messiæ. Nugæ plane hæ sunt, quæ nec refutari merentur, cum non solum nullum habeant in sacro textu fundamentum, verum etiam ipsi adversa fronte repugnent.

Christus
delevit ini-
quitatem
terræ.

LVI. Sed quomodo, sciscitatur Rabinus, dici potest *consummata pravaricatio, deleta iniquitas, & adducta justitia sempiterna* post adventum Jesu Nazareni, cum vitia, & peccata ubique, atque inter Christianos ipsos grassari videamus? Resp., verum illorum verborum sensum non esse, Christo adveniente nulla amplius futura in hoc mundo peccata; sed Christi passione fuisse divinæ justitiæ pro

pro peccatis nostris satisfactum, & nobis etiam suppeditata remedia, quibus & peccata præterita expiare, & futura cavere possimus; unde etiam Isaias LIII. 5. de Christo prædixit: *ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra . . . & livore ejus sanati suntus*; & LXI. I. loquens in persona Christi dicebat: *Deus misit me, ut mederer contritis corde*, & infinita sunt hujus generis testimonia. Hunc esse illorum verborum sensum plerique cordatiores etiam inter Judæos confessi sunt, ut R. Simeon in *Bereshith Rabba*, & R. Menasse ben Israel in *Termino vite*, ubi etiam testatur, non aliam fuisse hac de re veterum Judæorum sententiam.

LVII. A veritate etiam omnino aliena est quorundam Rabbiorum opinio, qui *dissipationem sanctuarii, & abominationem desolationis in templo a Daniele prædictam* ad Antiochum Epiphanem referunt, qui, ut legitur I. *Machab. I. 57.* ædificavit *abominandum idolum desolationis super altare Dei*. Nam imo Daniel sævissimam hanc Antiochi persecutionem non hoc capite, sed inferius cap. XI. prædixit, quæ proinde prophetia ab alia Messiae venturi distinguenda est. 2do
sub

Hoc vaticinium Danielis ad Antiochum non spectat.

sub Antiocho multa quidem, & gravissima mala Judæi perpeffi sunt, non fuit tamen Jerusalem destructa, aut dirutum templum, quod post Messie occisionem futurum esse prædicitur, 3tio non fuit illa desolatio perpetua, sed sub Machabæis respublica Judæorum iterum caput erexit, multis victoriis inclaruit, antiquam Patrum suorum religionem restituit, omnisque generis bonorum abundantia floruit, ut in libris *Machab.* videre est, præcipue autem Lib. I. cap. 14, ubi gloria gentis judaicæ sub Simone Dace pulcherrimis coloribus pingitur.

Jo. Harduini perversa interpretatio.

LVIII. Prætermittere autem hoc loco non possumus absurdam Jo. Harduini interpretationem vaticinii Danielis, quæ a refutatis hæctenus Rabbiorum commentis non procul abest. Hic auctor suis paradoxis notissimus in *Chronologia V. T.* contendit, *Christum* a Daniele prædictum esse Oniam Pontificem, qui a Menelao proditoria Andronici manu occisus fuit II. *Machab.* IV. 34, nec alia ratione vaticinium Danielis posse ad Jesum Nazarenum referri, nisi typice, quia Onias ipsius figuram gerebat; quæ si vera essent, quis non videt, quantum efficaciam hujus

vati-

vaticinii ad convincendos Judæos detraheretur (h)?

LIX. Multa sunt, quæ novæ huic Harduini Interpretationi opponuntur, potissimum autem ejus chronotaxim ratione temporum perturbata, nec sibi ipsi, nec solidioribus Historiæ monumentis cohærere. Sed quod magis Theologis displicere debet, est imo, quod nomine *Christi Ducis* non intelligat Jesum Nazarenum, cui tamen soli, ut vidimus, omnia ea convenire possunt, quæ in vaticinio continentur. Immo adeo desipuit Hardui-

Refellitur.

(h) P. Bern. Lamy in suo *Apparatu chronol. & geograph. ad Comment. in harmoniam IV. Evangel. in Dissert. de 70. hebdom.* Harduinum pro meritis castigavit; Harduinus autem *refutatoria oratione* sub adscititio nomine Eusebii Franco-Romani non sine multa acrimonia Lamy respondens, suum systema confirmare conatus est, in quo initium 70 hebdomadam capit a 4to Joachimi Regis anno; finem autem hebdomadam 7; statuit in Cyro, quem vult esse *Christum Ducem* a Gabriele prænunciatum; hebdomadas denique 62. extendit usque ad Judam Machabæum, post quas occisus est Onias Pontifex, in cujus nece occisio Jesu Nazareni præfigurabatur. Mira autem confidentia de sua interpretatione exultans ei nihil aliud opponi posse jactat, *præter novitatem; sed set,* inquit, *illa temporis accessione vetus.*

duinus, ut negaret nomen *Ducis* (hebr. נָחִיד *naghid*) fuisse unquam vero Messiae tributum, atque eruditos fidenter provocaret, ut vel unum Scripturæ textum, in quo id inveniatur, proferrent; cum tamen in promptu sit Isaïæ testimonium LV. 4. *ecce testem populis dedi eum, Ducem* (hebr. *naghid*) *ac præceptorem gentibus*, quod certe de Messia dictum est. 2do quod verba illa: *confirmabit autem pactum multis*, quæ designant novum foedus a Christo institutum, detorqueat arbitrato suo ad Judæos, qui sub Matathia fideles foederi antiquo permanserunt. Multo plura Harduino objicit post laud. Bern. Lamy P. Nicol. August. Chignoli *Exercitat. XXVI. ad Daniel. Prophetam.*

Marsham
explicatio
vaticinii
Danielis.

LX. Harduinum præcesserat, saltem ex parte, Jo. Marshamus, qui in *Canone Chronico* Sec. XVIII. ut novam suam, maleque contextam hebdomadam Danielis chronotaxim defenderet, ita versiculum 25. legebat: *ab exitu verbi ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jerusalem usque ad unctum Ducem hebdomades 7*: deinde illud *ab exitu verbi* explicandum esse vult de illis verbis Gabrielis v. 23: *ab exordio precum tuarum*.

rum egressus est sermo: 3tio contendit, Christum Ducem esse aut Cyrum, aut Zorobabel, aut Jesum filium Josedec. 4to ita ordinat verba sequentia v. 25: & hebdomade 62, redibit, & edificabitur platea, & fossa in angustia temporum, & post hebdomades 62 excindetur unctus, vel unctio; hoc autem adimpletum fuisse putat sub Antiocho Epiphane, cujus sævissima persecutio describitur Lib. I. *Machab. I.*

LXI. Hoc Marshamii systema, non minus quam mox confutatum Harduini peccat contra sanioris Chronologiæ, & Hermeneuticæ regulas, quod fuit a pluribus eruditis demonstratum. Sed nobis in præsentiarum sufficit ad illud rejiciendum, quod ut sæpe dictum est, vaticinii verba nec Cyro, nec Zorobabeli, nec cuicumque alteri convenire possunt, præter Jesum Nazarenum. In eo etiam absurde peccat Marshamus, dum verbum מָשִׁיחַ *Mashiah* vertit *unctio*, cum tamen dubio procul reddendum sit *unctus*, seu græce *χριστός*. Plura dabit contra Marshamum, ut & contra Harduinum, nec non contra P. Calmet, qui tertiam quandam Danielis interpretationem ab hæctenus refutatis non admodum diversam edi-

Rejicitur.

dit, D. Rosdet in *Dissert. sur les septantes semaines de Daniel* Tom. XI. de la *S. Bible* edit. 1772.

Quænam
fuerit abo-
minatio de-
folationis
in templo?

LXII. Antequam caput hoc absolva-
mus, paucis explananda sunt ea verba
prophetiæ v. 27. & erit in templo abo-
minatio desolationis, quæ Christus Do-
minus Matth. XXIV. 15. allegans in-
quit; cum videritis abominationem deso-
lationis, quæ dicta est a Daniele Pro-
pheta stantem in loco sancto, qui legit,
intelligat: textus enim primigenius he-
braicus habet *אל על* *Al ceneph super*
alam; quod noster interpres reddidit in
templo. Hæc autem, si proprie loqui
velimus, indicare videntur abominatio-
nem, quæ futura erat, non in ipso tem-
plo, sed potius in circuitu Jerusalem, qui
a Propheta appellatur *ala*, vel *latus*;
quando nempe profana Romanorum ve-
xilla, in quibus idola depicta erant, in
loco sancto, id est in circuitu Jerusalem,
quæ vocabatur *civitas Dei*, & *civitas*
sancta, explicanda erant. Scimus tamen,
Flavio Jos. referente Lib. VI. de bello
jud. cap. 6, etiam templum ipsum fuisse
a Romanis profanatum; cum enim tem-
plum, & quæ circa templum, arderent
omnia, inquit Josephus, *Romani signis*
in

in templum illatis, positisque contra portam orientalem, illis ibi sacrificarunt. Et de hoc vaticinio fati.

C A P U T V.

De vaticiniis Aggæi, & Malachie.

LXIII. **C**um Aggæus animos Judæorum concidisse animadvertet, eo quod templum a Zorobabele erectum antiqui illius Salomonici magnificentiam æquare non posset, ut illos confortaret, eam celebrem prophetiam protulit, quæ legitur cap. II. 7. & sequ. *hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria - - magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ. Jam vero desideratus cunctis gentibus nullus alius est, quam Messias, quem proxime adventurum Aggæus promittit. Sed præterea etiam prædicit hujus secundi templi a Zorobabele erecti gloriam futuram majorem, quam primi; hæc autem gloria major non aliunde repeti potest, quam*

Vaticinium
Aggæi.

ex Messia, qui hoc templum ingressurus erat, & sua præsentia glorificaturus: venit ergo Messias, antequam hoc templum destrueretur a Romanis, & nemo alius esse potuit, quam Jesus Nazarenus. Fingere autem, Aggæum non de secundo templo locutum esse, sed de tertio quodam, quod ex Ezech. XL. futurum aliquando esse, sibi imaginantur Rabbini, est aperte contradicere ejus verbis: *implebo domum istam gloria*; nam pronomen *istam* non potest nisi templo Zorobabelis adaptari. Accedit, templum ab Ezechiele prædictum non esse materiale, sed spirituale.

, Discrimen
inter 1^{um}
& 2^{dum}
templum,

LXIV. Porro non aliunde repeti posse, quam ex Messiaæ præsentia majorem hujus secundi templi gloriam, plus quam manifestum est; nam præterquam quod antiquo illi Salomonis templo multum in magnificentia, & divitiis inferius erat, deerant etiam in hoc secundo 1^{mo} arca cum propitiatorio: 2^{do} *Urim*, & *Thummim*: 3^{tio} *Shekina*, seu præsentia Dei, quæ in visibili nube supra propitiatorium manifestabatur: 4^{to} ignis facer, qui de cælo super altare descendit II. Paralip. VII, & postea semper vivus conservatus est; ac demum Spiritus pro-
phe-

phetiæ, qui post Aggæum, Zachariam, & Malachiam penitus defecit. Hæc factentur etiam veteres Rabbini apud Raym. Martini in *Pugione fidei* P. II. cap. 9, & prodigio fere simile est, Judæos in hoc vaticinio Jesum Nazarenum ut promissum in lege Messiam non agnoscere.

LXV. Sed id clarius etiam conficitur ex prophetia Malachiæ cap. III, ubi Deus ore Prophetæ ita loquitur: *ecce ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos queritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis: ecce veniet, dicit Dominus exercituum.* Porro quis est Dominator, quem quærebant Judæi, nisi Messias, qui ingredi debebat templum suum? Cum autem templum hoc a septendecim, & amplius seculis dirutum jam sit, dicant Judæi, quisnam alius esse potuerit Messias, qui illud ingredi debebat, nisi Christus Jesus? Frustra vero quidam Rabbini cum Abarbanel de tertio templo hæc vaticinia intelligunt, cum nimis clare uterque Propheta de templo a Zorobabel ædificato loquatur.

Propheta
Malachiæ.

LXVI. Frustra etiam aliqui gloriam secundi templi majorem, quam primi in

Vana Judæorum
efugia.

eo collocant, quod diutius duraverit, quam primum, quod opulentius fuerit, magnisque Regum muneribus cumulatum, quod Alexander M., & Pompejus in illud ingressi fuerint. Quæ enim sunt ista, quibus persuadere possint Rabbini, majorem fuisse gloriam secundi templi, quam primi? Sane referente Esdra Lib. I. cap. III. 12. *seniores, qui viderant templum prius . . . flebant voce magna*, quod scilicet hoc ædificium majestati prioris minime responderet. Duratio secundi templi vix 10 annis superavit durationem primi; opulentia autem non obstantibus variis Principum muneribus longe minor fuit opulentia primi, ad quod auro, argento, omnique suppellectili pretiosa ornandum: duo potentissimi Reges David, & Salomon opes suas contulerant. Ut quid autem nobis memorant ingressum in templum Alexandri, aut Pompeji, quasi vero in hac profanorum hominum præsentia, & non potius in præsentia Messias Dominatoris Regum gloriam domus Dei reposuerint Prophetæ.

Aliæ Judæorum cavillationes:

LXVII. Cavilloso tamen Judæi singula Aggæi verba ad trutinam revocantes, ea Jesu Nazareno adaptari minime posse contendunt: imo quia cum Aggæus dicat:

ad-

adhuc unum modicum &c., videtur significare rem brevi eventuram, scimus autem Jesum Nazarenum, nonnisi post quatuor, & amplius secula apparuisse. 2do de Jesu Nazareno intelligi non possunt ea verba sequentia: & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, quæ potius videntur referenda ad subversionem regnorum, quæ prædicatur ibid. v. 22: *ego movebo cælum pariter, & terram, & subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium.* 3tio non videtur in Jesu Nazareno adimpleta illa promissio: *in loco isto dabo pacem*, cum ipsius adventum maxima subsecuta fuerint bella.

LXVIII. Haud difficile est tamen hæc omnia expedire. Et imo quidem Propheeta ad erigendam Judæorum spem potuit intervallum circiter quatuor seculorum, quo exacto Messias gloria sua templum nobilitare debebat, *modicum* appellare, scilicet habita ratione quatuor pene annorum millium, quo expectabatur. Quantum ad 2dum, commotio illa cæli, terræ, maris, aridæ, & omnium gentium recte de temporibus Messieæ adventum præcedentibus intelligi potest, quibus scimus, a Romanis fuisse tot regna

Refelluntur.

subversa, & tot populos subactos, ac denique ipsam Romanorum rempublicam, non sine ingenti rerum omnium mutatione in alium statum conversam. Huc etiam spectare videntur verba subsequencia v. 22. & 23. *ego movebo &c.* Vel cum aliis hæc cœli & terræ commotio explicari potest de stupendis J. C. miraculis, Vel denique hæc spiritualiter intelligi possunt, quatenus Christus non solum terrestria, sed etiam cœlestia instauravit: atque hunc sensum exhibet Apostolus Hebr. XII. 26. comparans commotionem factam in monte Sinai, quando Deus legem promulgavit, commotioni, quam Aggæus in adventu Messię futuram esse prædixit. Promittit demum Propheta una cum Messia etiam pacem, sed non pacem temporalem; hoc enim pacto nunquam inveniemus tempus, quo oraculum adimpletum sit. Est ergo intelligenda pax spiritualis, quam Christus attulit mundo homines Deo reconcilians, quam reliquit etiam discipulis suis, quamquam eos mitteret tanquam agnos in medio luporum: atque hoc ipso sensu vocatus est ab Isaia *Princeps pacis.*

Quomodo
Messias de-
sideratus a
gentibus.

LXIX. Negotium etiam nobis faceffe-
re conantur Rabbini propter illa verba:

&

Et veniet desideratus cunctis gentibus, quæ perperam de Messia, aut de Jesu Nazareno a nobis intelligi dicunt; gentes enim utrumque ignorabant, adeoque nec expectare poterant. Sed ludunt, illudque nugaces hujusmodi argutiis. Dicitur Messias desideratus cunctis gentibus, vel ut Isaias loquitur LI. 5. *expectatus ab insulis*, quia juxta promissionem factam Abrahamo in eo erant omnes gentes benedicendæ, quod re etiam ipsa completum est. Sensum autem hujus loci pervertunt illi Rabbini, qui nomine *seminis*, in quo benedicendæ sint omnes gentes, non Messiam intelligunt, sed totum Israelis populum; neque enim erant alio modo in populo Israelis benedicendæ gentes, nisi quatenus ex semine Abraham oriturus erat Messias. Multo etiam longius ab eodem sensu recedunt, qui ita verba Scripturæ interpretantur: *tuo semini omnes gentes benedicent.*

LXX. Postrema Judæorum cavillatio in eo sita est, quod templum a Zorobabele exstructum fuerit ante Jesu Nazareni adventum jam dirutum; referente enim Flavio Jos. Lib. XV. *Antiquit. Jud. cap. II.* Herodes *sublatis veteribus fundamentis, & jactis aliis templum super eis*

Herodes non extruxit novum templum.

ere-

erexit. Mera plane, & insulsa cavillatio hæc est; templum enim, quod sub Tito incensum, & dirutum fuit, ab omnibus semper *secundum* appellatum est, nec nisi vitilitigandi libidine modo tertium illud appellant. Quæ refert Josephus, a pluribus exaggerata putantur, ut gloriam Herodis extolleret, quasi novum ipse templum, illudque magnificentissimum extruxisset; cum tamen certum sit, nonnisi aliquibus additamentis, atque ornamentis fuisse ab Herode templum amplificatum, non autem prius dirutum, atque aliud ædificatum (i). Præter alia hujus rei argumenta, illud sufficit, quod sacrificia, aliaque Religionis exercitia nunquam fuerint interrupta, quod tamen necesse erat, si priore destructo fuisset novum templum erectum.

CA-

(i) Jo. Harduinus de *nummis Herodiadum* Josephi auctoritatem hac in re nauci facit; immo in *Relq. Yasta* Jac. Basnagio p. 366. ridiculum plane existimat, potuisse Herodem templum Jerosolymitanum ex integro extruere. Ejusdem sententiæ est Salius ad an. mundi 4035.

C A P U T VI.

Ex prædictione conversionis gentilium, aliisque nonnullis prophetiis evincitur, Jesum Nazarenum esse Messiam.

LXXI. **N**ihil frequentius in sacris Conversio
gentium
prædicta. Prophetarum oraculis occurrit, quam Messiam esse *expectationem gentium*. (vid. supra §. 31. & 69.) Isaïæ XLII. 6. Deus Messiam alloquens *dedit te*, inquit, *in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vincitum, de domo carceris sedentes in tenebris;* & XLIX. 6. *ecce dedit te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terra.* LV. 4. *ecce testem populis dedit eum, Ducem, ac Præceptorem gentibus;* ac denique LXII. 2. *videbunt gentes justum tuum* (hebr. יְדִיט *justitiam tuam*) & *cuncti Reges inclytum tuum* (hebraïce כְּדֹר *gloriam tuam.*) Jam vero oculis tantum opus est, ut videamus, has prophetias esse opere completas; gentes enim in omnibus mundi partibus abjecta idololatrica superstitione Jesum Nazarenum ut Præceptorem, ut Ducem, ac Deum adorant. Et quamquam

quam adhuc sunt, qui idolis thura offerant, ac proinde non omnes omnino gentes serviant Domino, quod in nonnullis prophetiis prædictum videtur, cum tamen magna mundi pars idololatricam superstitionem abjecerit, earum veritas satis jam adimpleta fuit, & ante finem mundi eam omni ex parte adimplendam certo scimus.

Obiectio
Judæorum
soluta.

LXXII. Nec vero opponant Judæi, Jesum Nazarenum gentibus non prædicasse, nec eas ad suam doctrinam convertisse. Non inquam; imo enim quod ejus discipuli fecerunt, mandato & virtuti Christi Domini tribuendum est. 2do fuerat a Prophetis hoc ipsum prædictum Isaïæ LXVI. 19. *mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lybiam, tendentes sagittam; in Italiam, & Græciam, ad insulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam: & annuntiabunt gloriam meam gentibus - - - & assumam ex eis in sacerdotes, & levitas, dicit Dominus.*

Regnum
Messiæ spi-
rituale.

LXXIII. Hæc adeo perspicua sunt, ut in oculos quoque adversariorum incurrant; sed in hoc decipiuntur simul cum Patribus suis, hæc Prophetarum oracula interpretantes de majestate, & potentia tem-

temporali, qua Messias venturus non solum regnum Israel restitueret, sed etiam subactis gentibus imperium toto terrarum orbe extenderet; qua in re plura afferunt vaticinia præcipue ex Isaia. At vero cum in eodem Isaia, aliisque Prophetis quam sæpissime inculcetur, Messiam futurum pauperem, despectum, virum dolorum, ac denique crucis supplicio afficiendum, manifeste innuitur gloria regni ejus non temporalis, sed spiritualis. Vid. inter alia Isaia caput LIII. & Zachariæ IX. 10. ubi dicitur: *exulta satis, filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinae*; quod oraculum ad litteram fuisse adimpletum Historia Evang. testatur Matth. XXI. 5. His accedit, quod regnum ipsius appellatur regnum *pacis*, *cujus non erit finis*, Isaia IX. 6. & 7. quæ certe verba non possunt de regno temporali intelligi, sed regnum significant spirituale Christi, quod in æternum durabit. Vid. plura apud Duguet Tom. I. *des Principes de la foi chrét.* ch. 20.

LXXIV. Nihil vero amentius, quam quod nonnulli ad hæc oracula Prophe-

Non duo Messia, sed unus promissus est,

ta

tarum concilianda excogitarunt; scilicet non unum, sed duos venturos esse Messias, quorum alter in gloria, & majestate esset temporale Israelis regnum restitutus; alter vero humilis, atque abjectus esse deberet; qua in re mirum quantum Rabbini genio suo fabuloso indulgeant, ut videre est apud Jac. Basnage *Hist. des Juifs* Lib. VI. chap. 25. art. 3. Commentitia enim prorsus est hæc duplicis Messiae distinctio, & veteri Synagogæ prorsus ignota. Sed facilis, atque aperta est oracula Prophetarum conciliandi via, si quæ de Messiae abiectione, passione, doloribus, & morte prænunciarent, ad litteram intelligantur, prout re ipsa in Jesu Nazareno adimpleta fuerunt: quæ autem de ejus gloria, potentia, majestate, & regno prædicuntur, referantur ad gratiam, quam sanguine suo nobis promeruit, ut illius lavacro regenerati filii Dei nominemur; & simus, hæredes regni cœlestis, cohæredes ipsius Christi. Hac ratione Christus mundo pacem reddidit, reconcilians ima summis, imperium suum dilatavit ab ortu solis usque ad occasum; regni que ejus nullus erit finis.

Cujus duplex natura divina, & humana.

LXXV. Est etiam considerandum, fuisse in Jesu Nazareno, quem nos ut Mess-

Messiam adoramus, duplicem naturam, divinam, & humanam; qua posita distinctione facillime conciliantur Prophetarum oracula, quorum aliqua ad divinam, alia ad humanam naturam referuntur. Sed non est hujus loci de Christi divinitate tractare (k).

LXXVI. Præter hæc alia est prophetia apud Malachiam I. 7, & sequ., quæ sacrificium novum a Christo instituendum, atque offerendum apertissime indigitat, quodque aliud esse non potest, quam illud, quod in lege Christiana Deo ubique offertur. Imo igitur Deus ibi ita arguit veteris legis sacerdotes: *offeritis super altare meum panem pollutum;* deinde ita prosequitur: *non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad*

Prophetia
Malachiæ
in Jesu ad-
impleta.

OC-

(k) R. Gheuda Levi bar Bezaleel in *Victoria Israelis* impressa Pragæ 1599. cap. 22. aperte fatetur, totum negotium Messie esse divinum, & spirituale, non corporale. Et R. Menasse ben Israel libr. III. de *Resurrectione mortuorum* cap. 5. duplicis Messie commentum refutat. Immo R. Moses ben Maimon eos, qui allum sibi fingunt Messiam, quam ex progenie David, & Salomonis, nomen Dei benedictum, & verba Prophetarum abnegare, pronunciat.

occafum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda &c. Certum est, hic non esse sermonem de sacrificio interiori, & spirituali, quia hoc nunquam fuit a Deo reprobatum, sed de sacrificio exteriori, quod opponitur sacrificiis veteris legis, quæ reprobari debebant, & ad quod offerendum prædixerat Deus, se assumpturum sacerdotes ex gentibus, Isaïæ LXVI. 21. Jam vero dicant nobis Judæi, ubi sint sacerdotes veteris legis, ubi victimæ, ubi altare, ubi templum? Agnoscant igitur, antiqui fœderis sacrificiis successisse oblationem mundam, scilicet sacrificium corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, quod in omni loco Deo offertur. Dicitur autem hæc oblatio *munda*, quia, ut inquit Concil. Trid. sess. XXII. cap. 1, *nulla indignitate, aut malitia offerentium inquirari potest.*

Prophetia
Micheæ in
Jesu adim-
pleta.

LXXVII. Addamus denique & prophetiam Micheæ V. 2. *& tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Porro constans semper fuerat apud Judæos traditio, Messiam ex tribu Juda,

at-

atque ex progenie David esse nasciturum; immo in Bethlehem David patria; unde etiam cum Herodes a principibus sacerdotum, & scribis populi sciscitatus fuisset, ubi Christus nasceretur, sine hæsitatione responderunt: *in Bethlehem Juda.* Matth. II. 4. & seq.; & cum Jesus Pharisæos interrogasset: *quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* responderunt ei: *David.* Matth. XXII. 42. Hinc peculiarem Deus curam tribus Juda semper gefcit, nec eam passus est inter gentes dispergi. Jam vero ex Hist. Evang. constat, Jesum in Bethlehem fuisse natum; quamvis enim ejus parentes habitarent in Nazareth, providentia tamen divina disposuit, ut appropinquante partu Mariæ Virginis edictum a Cæsare Augusto exiret, ut describeretur universus orbis; ascendit autem & Joseph cum Maria conjugē sua *in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo, & familia David.* Luc. II. Quibus omnibus patet, Micheæ vaticinium fuisse in Jesu Nazareno adimpletum; atque eo magis id patet, quo tribus Juda postea fuit unâ cum aliis dispersa; & adeo confusa, ut nulla amplius familiarum genealogia in ea distinguatur, ac propterea

genus David in ea frustra requiras. Immo narratur, post excidium Jerofolymitanum fuiffe a Vefpafiano eos omnes occifos, qui fe de domo, & familia David effe profitebantur: ut proinde fi Micheæ vaticinium in Jefu Nazareno impletum non eft, nulla amplius fupersit ejus adimpletionis fpes.

C A P U T VII.

Ex præfenti Judaica nationis ftatu a Prophetis prædicto magis confirmatur, Jefum Nazarenum effe Mefſiam a Deo promiffum.

Judæorum
diſperſio
prædicta.

LXXVIII. **Q**uamquam argumenta in hanc rem ſuperius allata invicta omnino ſunt, hoc tamen ad convincendos Judæos magis palpabile, magisque efficax videri deberet, niſi eorum excæcatio a Prophetis sæpius prænunciata obſtaret. *Obscurentur*, dicitur in Pfalm. LXVIII, *oculi eorum, ne videant, & dorfum eorum ſemper incurva . . . quoniam quem tu percuffiſti, perſecuti ſunt.* Vidimus ſuperius Cap. IV, fuiffe a Daniele prædictum, in medio hebdomadis ſeptuageſimæ occidendum

dum esse Christum: post autem civitatem, & sanctuarium dissipatum iri, & talem esse statutam desolationem, quæ usque ad consummationem, & finem perdurabit. Oseas etiam III. 4. *dies multos*, inquit, *sedebunt filii Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine teraphim.* Et multa hujus generis a Prophetis populo judaico comminata sæpius leguntur. Jam vero quamquam difficile haud sit, ex ipsis prophetiis eruere, hæc omnia illi evenire debuisse, eo quod Messiam non agnoverint, adeo tamen luculenter Christus Dominus harum prædictionum sensum explicavit, ac propriis vaticiniis confirmavit, ut nulla unquam prophetia magis perspicue edita fuerit, & nulla magis litteraliter adimpleta.

LXXIX. Itaque, ut legimus Lucae XIX, cum Jesus triumphali modo Jerusalem appropinquaret, & turbæ ipsi lætanter acclamarent: *benedictus, qui venit Rex in nomine Domini*, videns civitatem, flevit super illam dicens: *quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo,*

Præcipue
autem a
Jesu Christi.

& coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Clarius etiam invenitur hæc prædictio apud Matthæum XXIV, ubi v. 14. & seq. etiam tempus, quo hæc terribilis prophetia adimplenda erat, accurate prædicatur: prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam &c. . . .

v. 34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Quæ prophetia etiam repetitur Marc. XIII. Porro si hæc omnia ad apicem litterarum adimpleta fuisse videamus, quis adeo vecors erit, ut inficietur, Jesum fuisse verum Prophetam, adeoque etiam verbis suis veterum Prophetarum genuinum sensum determinasse? Vide quæ diximus sect. III. §. 143.

LXXX. Oculos nunc conjiciamus in populi judaici excidium, quale a Flavio Josepho ejusdem nationis & religionis nobis descriptum fuit. Annus erat æræ Christi. trigessimus octavus, quando *generatio illa nondum præteriverat* (nam plurimi, qui hanc prophetiam audiverant, in vivis adhuc erant) cum Romani urbem Jerusalem vallo cinxerunt, & post longam, acerrimamque oppugnationem vi tandem, & armis occuparunt, tantaque facta est Judæorum omnis sexus, & ætatis cædes, ut ad undecim centena millia in ea obsidione fame, ferro, flammaque periisse dicantur; reliqua autem multitudo populi, urbe vastata, temploque incenso in miseram captivitatem abducta fuit. Et quia civitatis destructæ adhuc vestigia quedam supererant, ut nihil prorsus prophetiæ adimpletioni deesset, post 60. circiter annos Ælius Hadrianus Imperator lapides prioris jam destructæ transfudit, ut novam in vicinia civitatem exstrueret, quam ex suo nomine *Æliam* vocavit, atque ita, prout prædixerat Christus Marc. XIII. 2., *lapis super lapidem relictus non est*. Notum pariter omnibus est, quam frustra tentaverit Julianus Imperator templum reædificare; erumpentibus enim e-

Et ad litteram adimpleretur;

terra flammis opus magno molimine in-
 cœptum perfici non potuit. Populus au-
 tem Judæus ubique terrarum exul & pro-
 fugus tot, & tantis calamitatibus premi-
 tur, ut omnium commiserationem prome-
 reretur, nisi voluntaria obstinatione suas
 ipse sibi misérias conscisceret: a 17, &
 amplius seculis Regem non habet, nec
 Sacerdotes, nec Levitas, nec sacrificia,
 nec templum: semper lactatur vana spe
 futuræ liberationis, ac sæpius a falsis im-
 postoribus deceptus nullum diuturnæ suæ
 captivitatis terminum videt.

Nec alia
 de causa,
 nisi propter
 occisionem
 Jesu.

LXXXI. His breviter, ac super-
 ficie tenus consideratis, dicant nobis Ju-
 dæi, quo tandem nefando crimine tan-
 tam Dei punitionem promeriti sint? Cer-
 te eorum Patres propter idololatriam, quo
 nullum majus esse potest scelus, multis,
 magnisque calamitatibus affecti sunt, sed
 illæ omnes simul etiam collectæ nulla
 ratione cum ea comparari possunt, quam
 modo a tot seculis patiuntur. Perperam
 autem diuturnæ hujus, & gravissimæ pu-
 nitionis aliam quærunt causam præter eam,
 quam Propheta Oseas indigitat, clarius
 autem explicat Christus Dominus. Primus
 in laud. nuper vaticinio ita subdit: &
*post hæc revertentur filii Israel, & que-
 rent*

rent Dominum Deum suum, & David Regem suum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum; si enim conversi quærent Dominum Deum suum, & David Regem suum, scilicet Messiam filium David, quem dereliquerunt, manifeste patet, hoc & non aliud esse illud gravissimum crimen, cujus pœnas luunt. Clarius autem Dominus Jesus id expressit, inquiens: *eo quod non cognoveris tempus visitationis tue.*

LXXXII. Atque ex postremis his Christi verbis patet, crimen hoc gravissimum, quo Judæi olim se obstrinxerunt, Jesum Nazarenum persequentes, ac morti tradentes, etiam in eorum filiis, ac nepotibus usque ad nostra tempora perseverare, & renovari; quemadmodum enim illi Messia repudiato maximi se criminis reos fecerunt, ita eorum posterii in eadem cæca obstinatione perseverantes pari se culpa obstringunt; immo fortasse etiam majori, quia, quo eorum captivitatis tempus sit diuturnius, eo etiam evidentiora sunt argumenta, quibus Messiam jam venisse, probatur. Hinc frustra objiciet *at* If. Orobius in *Collat.*, injustam futuram esse hanc pœnam, si propter Deicidium a Patribus eorum patratum inflictâ esset.

Quæ causa etiam in Judæis hujus ævi perdurat.

Adde horrendam illam universi populi imprecationem Matth. XXVII. 25. *sanguis ejus super nos, & super filios nostros.*

Discrimen
inter Judæos,
& Gentiles.

LXXXIII. Sed instat recutitus Orobis: cur tot aliæ nationes, quæ Jesum ut Messiam, non minus, quam Judæi rejiciunt, æqualibus non premuntur calamitatibus? Resp., earum crimen non esse tam grave, quam Judæorum; istis enim proprie factæ sunt promissiones Messia; ex eorum semine natus est Christus; ipsis prædicavit, & omnia in se adimpleta fuisse Prophetarum oracula sæpius ostendit; coram ipsis multa, & stupenda edidit prodigia; ac demum ipsi hominum ingratißimi ejus mortem magnis clamoribus a Pilato petierunt, atque impetrarunt. Nihil horum de Gentilibus dici potest, quorum propterea peccatum in Evangelii luce repudianda, grave certe est, obstinatum tamen Judæorum pervicaciam non æquat.

Præcluditur
Judæorum
effugium.

LXXXIV. Irrito autem labore se torquent, dum alias suarum calamitatum causas requirunt, scilicet legis Mosaicæ violationes, quas a Deo severissime puniendas esse Moyfes prædixit *Deuteron. XXVIII.* Ut enim hoc effugium, quo sæpius uti solent, ipsis prodesset, de-

mon-

monstrare deberent, has legis violationes post Jesum Nazarenum fuisse in populo judaico & frequentiores, & majores, quam antea; quod tamen evincere nullo modo poterunt. Nam, ut omittam illas quorundam Rabbinorum jactationes, quibus nationis suæ virtutes deprædicant, atque innocenter, & sine causa se affligi queruntur, certe ex historia antiquissimæ hujus gentis constat, multo plura, multoque graviora fuisse illius scelera ante Christum natum, quam postea: saltem post ejus dispersionem nullibi legitur, Judæos se idololatria polluisse, quo tamen crimine sæpenumero Patres eorum Deum ad iracundiam, & vindictam provocaverunt.

LXXXV. Urget præterea Orobius Orobil objectio soluta. exemplum 10 tribuum, quæ sub Salmanasare in captivitatem abductæ, & nunquam liberatæ eadem fere cum aliis Judæis pœna plectuntur, quin ipsæ necis Jesu Nazareni conscia fuerint. Sed 1mo illæ 10. tribus, si adhuc subsistunt, eadem culpa ac reliqui Judæi tenentur, dum Jesum Nazarenum ut verum Messiam venerari detrectant. 2do Majori adhuc culpa obstringuntur, si verum est, eas gentilibus commixtas didicisse opera eorum,

rum, atque idolis fervire. Putant tamen aliqui, maximam illarum tribuum partem fenfim, ac fenfim in diverfis occafionibus, in Palæftinam remeaffe, fuiſſeque tribui Juda commixtas. Hac de re videri poteſt *Differt. ſur le retour de dix tribus* Tom X. de la S. Bible &c.

Mirabilis
Judæorum
diſperſio,
& conſer-
vatio.

LXXXVI. Scholion. In hac tamen univerſæ gentis Judaicæ diſperſione ſimul & conſervatione admiranda eſt divina providentia, & obſervanda vaticiniorum adimpletio. Ubique enim diſperſi ſecum afferunt ſacras veteris teſtamenti litteras, totique mundo oſtendunt, conſicta ea oracula non fuiſſe, quorum jam ſecutus eventus veritatem noſtræ Religionis luculenter demonſtrat; unde eos appoſite vocabat S. Auguſtinus noſtros *ſcriniarios*, vel *capſarios*, quia primitivos noſtræ Religionis titulos ubique ſecum portant. In ſua autem diſperſione ita mirabiliter à Deo conſervantur, ut populum efficiant ab omnibus aliis diſtinctum; & cum antiqui ipſorum domitores Ægyptii, Syri, Perſæ, ac Romani demum viciffitudine temporum deſtructi ſint, Judæi ab ipſis ſubacti adhuc vigent, & toties horrendis ſtragibus pene exſtincti, in magnam rurfus multitudinem excreverunt. In hac
mi-

mirabili gentis Judaicæ conſervatione adimpletum eſſe videmus illud Jeremiæ vaticinium XLVI. 28: *ego conſumam cunctas gentes, ad quas ejeci te: te vero non conſumam; & hinc colligere poſſumus, etiam adimplenda eſſe ea vaticinia, ſæpius repetita de futura aliquando eorum converſione ad Chriſti fidem: & poſthac revertentur filii Iſrael, & quaerent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in noviffimo dierum Oſeæ III. 5. Quando autem hæc converſio futura ſit, definiri non poteſt; & qui de ea aliquid prænunciare auſi fuerunt, ſe falſos Prøphetas, vel falſos Prophetarum interpretes oſtenderunt (1). Non eſt*

(1) Petrus Jurieu in ſuo libro *Accompliſſement des prophéties* inter alia vaticinia, quorum ſe auctorem fanaticum, vel interpretem præbuit, brevi, & jam imminentem Judæorum reſtitutionem prænunciavit; qua de re lectu digna eſt lepida ad ipſum epiſtola Rabbinorum Amſtelodamenſium, quam refert Rich. Simonius Tom. I. *des Lettres choiſies* p. 319. Ceterum de vaticiniis, quibus Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam in lege promiſſum demonſtratur, præter eos omnes, qui integros curſus theologicos ediderunt, legi præcipue merentur Raym. Martini in *Fugione fidei*, quem Petr. Galatinus in *Arcanis catholicæ veritatis*, & Porcha-

Gus

est vestrum, répétere hic possumus, quæ Christus dixisse refertur discipulis suis Act. I. 7, nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.

C A P U T VIII.

Perperam Polytheistæ, atque Idololatræ superstitiosam suam doctrinam divinitus esse revelatam jactant.

Errores
Gentilium.

LXXXVII. **S**i totam Gentilium Theologiam hic exponere vellemus, longæ, nostroque usui parum accommodatæ instituendæ essent disputationes. Eorum errores bene multos antiqui Patres detexerunt, & confutarunt, ut Lactantius in *Divin. Institut.*, Arnobius in *7. Libris adversus gentes*, Theodo-

dotus de Sylvaticis in *Victoria adversus impios Judæos* intolerabili plagio expilarunt; Joseph autem de Voisin plurimis notis, & Jo. Ben. Carpovius addita introductione illustrarunt; Duguet *Traité des principes de la foi chrét.* Tom. I; le P. La-Bertronye Tom. III. *des Oeuvres*; Nat. Alexander in *Hist. V. T.*; Ign. Amat. de Graveson de *Mysteriis, & annis Christi*, &c. &c. Ad manus autem nostrorum Auditorum facilius erit Cl. P. Jos. Bertleri, qui de *Incarnatione* hanc materiam accuratè, copioseque tractavit.

doretus de curandis Græcorum morbis, S. Augustinus in aureis libris de Civit. Dei, aliique non pauci. Multi etiam inter recentiores hanc spartam adornarunt; quamvis eorum aliqui studio bene de Religione merendi conati fuerint, celebriores Gentilium Philosophos cum Christianis dogmatibus, invita, ut ajunt, Minerva, conciliare (m). Præcipuus tamen,

(m) Potissimum reprehenditur Petrus Dan. Huetius, qui in *Quæst. Alnet. de Concordia rationis, & fidei* &c. non solum plura nostræ Religionis dogmata ad cultum Dei pertinentia, sed ipsa etiam sublimiora mysteria Trinitatis, Incarnationis, Nativitatis J. C. ex Virgine &c. paganis nota fuisse contendit; ejus propterea opus iis omnibus displicuit, quibus puritas nostræ Religionis cordi erat; quamquam eum non malitia, sed imprudentia peccasse, certum est. Eadem imprudentia peccarunt Augustinus Steuchus Eugubinus in sua *Perenni Philosophia*, Mutius Panfa de *Osculo, seu consensu Ethnica, & Christianæ Philosophiæ*, P. Livius Galantes in *Christianæ Philosophiæ cum Platonica, quin immo cum tota veteri sapientia comparatione*; nec omnino probantur ea, quæ doctiss. P. Thomassinus de convenientia Poëtarum, & Philosophorum cum Christ. Religione in suis opusculis de *Methodo discendi, & docendi humaniores literas, & Philosophiam tradidit*. Pluris ab eruditis sunt, quæ de doctrina Ethnicorum inveniuntur apud P. Mich. Mourgues in *lib. Plan theologique du Pythagorisme, & des*

448 *Refellitur Polytheismus.*

men, & capitalis Ethnicorum omnium error erat polytheismus, & idololatræ superstitio: quem errorem hic evertere aggredimur, ut inde novum accedat illi uni, veræ, ac divinæ revelationi, quam sup. sect. vindicavimus, argumentum.

Incredibilis Deorum numerus.

LXXXVIII. Porro nullus esset dicendi finis, si omnia, quæ cæca gentilitas adorabat, numina recensere quis vellet. Ad 30, & amplius millia numerabat Hesiodus teste Eusebio Lib. V. *Preparat. Evang.* cap. 15. Ut autem notabat S. Athanasius in celebri *Orat. contra gentes*, ubi prisca homines insipientes Dei notitiam oblivione delere cœperunt, obtusa ratione, primum cœlo, soli, lunæ, & astris divinos tribuerunt honores; deinde in malis procedentes homines, hominumque formas, cum viventium, tum mortuorum inter Deos retulerunt: post autem in lapides, & ligna, in reptilia,
aqua-

des autres sectes savantes de la Grece &c.; tum apud D. d'Olivet in *Notis de Theologia Philosophorum Græcorum* adjunctis ejus versioni libr. Ciceronis *de Nat. Deor.*; ac denique commendari meretur *l'Histoire de la Philosophie pyenne*, cujus tamen operis præferenda est secunda editio, utpote accuratior, & auctior. Sed omnium diligentiam superavit Jac. Bruckerus in sua *Hist. crit. Philosophiæ*.

aquatilia, & terrena, atque in feras, & brutas animantes Dei nomen transtulerunt: ac demum ultra progressi etiam ea, quæ nullo modo essent, commenti sunt, ut sibi Deos facerent; humanam enim formam cum brutis animantibus permiscentes, naturasque dissimiles simul connectentes, fictitios Deos fabricati sunt. Hujusmodi erant Dii illi, qui apud Ægyptios canis, serpentis, & asini caput habebant, & apud Lybiæ populos Ammon arietis capite insignis. Atque ut nullus esset iniquitatis finis, voluptatem, & cupiditatem ut Deos adoravere; cujusmodi erant Amor, & Venus, ac nonnulla alia numina. De quibus omnibus digna est, quæ legatur *varia & multiplex historia de Deis gentium* auctore Lilio Greg. Gyrardo.

LXXXIX. Horum tamen non una erat classis; quidam enim vocabantur Dii *majorum gentium*, inter quos divisum esse rerum omnium imperium rudi præsertim populo persuasum erat. Jupiter cælum, & terram, Neptunus mare, Pluto tristes inferorum umbras regere credebantur. Immo inter hos ipsos supremus dignitatis gradus Jovi tribuebatur, quem propterea *hominum, Deorumque Patrem* com-
Gazzan. Theol. polem. F f mu-

Varia eorum classes.

muniter appellabant. Hinc etiam opinio unius summi Dei, cui reliqui omnes subiecti essent, apud Ethnicos ipsos, imprimis autem apud Philosophos obtinuit; quamquam supernæ revelationis lumine destituti in veri Dei cognitionem aut vix, aut nullatenus pervenerunt (n).

Gentes Dæ-
mones co-
lebant.

XC. Sed neque illud omittendum est, quod Scriptura sæpius commemorat, scilicet idololatrias dæmonibus divinos tribuisse

(n) Id fuit a pluribus demonstratum; ac inter alios consuli possunt S. Thomas Lib. I. *contra Gentes* cap. 42., & Rad. Cudworthus in *system. mundi intellect.* cap. 4. Immo nonnulli putarunt, magnam illam Deorum turbam, quam apud Ethnicos, præcipue Poetas invenimus, nihil fuisse aliud, quam varias unius supremi Numinis notiones, & appellationes, in personas Deorum conversas; seu, ut inquebat Balbus apud Ciceronem Lib. II. *de Nat. Deor.* cap. 28, *a physicis rebus tracta ratio erat ad commentitios, & fictitios Deos.* Certe nonnulli post Christum natum sagaciores Philosophi, ut Porphyrius, Proclus, Plotinus, Julianus, cum eos tantæ amentię, qualis Polytheistis a nostris objiciebatur, suppuderet, ad desperatam Deorum causam tuendam ita rem explicabant. Hanc tamen explicationem viri doctissimi non pauci exploserunt, ut videre est apud Moshemium in Not. ad cap. IV. §. 13. Rad. Cudworthi. Notat insuper S. Augustinus Lib. VIII. *de Civit. Dei* cap. 12. eos etiam, qui Dei unitatem agnoscere videbantur, *Diis plurimis esse sacra facienda, putasse.*

buiffe honores Deuter. XXXII. 17. *immolaverunt demoniis, & non Deo, & Pfal. XCV. 5. quoniam omnes Dii gentium demonia* (o). Ac demum I. Corinth. X. 20. *quæ immolant gentes, demoniis immolant, & non Deo.* Quæ Scripturæ phrasis non ita quidem est intelligenda, quasi malos Angelos idololatræ ut Deos colerent; sed potius quatenus in simulacris Deorum, eorumque cultu dæmones se ingerebant, quod ex Trismegisto S. Augustinus ostendit Lib. VIII. *de Civit. Dei* cap. 23. Quamvis nonnulli etiam Deos malos placandos esse putabant, ne lædant, bonos autem, ut adjuvent, invocandos, ut idem S. Augustinus cap. 13. refert.

XCI. Non est autem hujus loci divinare, quandonam abjecta vera unius Dei religione cœperint homines superstitioso cultu inanes Deos adorare (vid. *Theol. dogm.* P. II. cap. VIII. & *P. Isagog. S.* 44.). Neque multum immorabimur, ut

Stulta Gentium Superstitio.

Ff 2

va-

(o) Non me latet, quod nostra Vulgata habet *dæmonia* a Hieronymo verti *sculptilia*, a Pagnino *idola*, ab Aria Montano *vana*, quæ postrema versio accuratius respondet voci hebraicæ *עִלְלִים*; hæ tamen versiones sensui nostræ Vulgatæ non repugnant: loca autem ex Deuter. & ex S. Paulo multo clariora sunt.

vanitatem, immo absurditatem idololatriæ arguamus, quod in *Theol. dogm.* loc. cit. præstitum est. Breviter tantum observabimus cum laud. superius S. Athanasio, tantam fuisse omnium gentium, quæ stulte idola colebant, religionis varietatem, ut quot fere essent regiones, tot etiam Dii confingerentur, & qui apud quosdam Dii adorabantur, apud vicinos execrationi essent. Præterea nonnunquam ea animalia, quibus alicubi sacrificia offerebantur, fuisse aliorum Deorum victimas, & hostias. Sic boves, & vituli apud Ægyptios Dii erant sub nomine *Apis*, alibi autem aliorum Deorum victimæ. Lybiæ quoque populi ovem, sive arietem, qui communiter Diis immolabatur, Deum *Ammonem* vocabant. Ac demum eo insanix deventum est, ut ipsi quoque homines aliis hominibus, quin immo inanimis, motuque, & sensu carentibus idolis sacrificarentur. Ita autem obscurato intellectu Gentiles in multa alia nefandissima crimina prolapsi sunt; quæ S. Paulus Rom. I. 23, & sequ. late describit.

Miracula,
& vaticinia
inanium
Deorum.

XCII. Sed hæc vel innuisse sufficiat, & potius operam dabimus, ut quædam miracula, & vaticinia, quæ in confirma-
tio-

tionem idololatriæ afferri solent, falsitatis convincamus. Et quamquam id ipsum modo supervacaneum esse videatur, cum idololatriæ tenebræ nonnisi quasdam a nobis remotissimas mundi partes occupent, non erit tamen labor inutilis propter incredulos, qui miracula, & vaticinia Ethnicorum sæpius objicere solent, & cum nostris conferre; non quod illa credant, sed ut nostra iis similia esse evincant, hæcque propterea, non secus ac illa inter aniles fabulas amendant.

XCIII. Inter celebriora Gentilium miracula imo referuntur infirmorum curationes ab Ifide, & Æsculapio factæ; & de Ifide quidem legi potest Diod. Siculus Lib. I; de Æsculapio autem multo plura narrantur, & exstat etiam tabula marmorea apud Janum Gruterum Tom. I. p. 71, de qua agit Dan. Clericus in *Hist. medicinæ* P. I. Lib. I. cap. 20. Immo Androgeonem Minois filium, & Hippolytum filium Thesei ad vitam revocasse dicitur.

Ifidis, &
Æsculapit.

XCIV. 2do Romulum redivivum fuisse in cœlum assumptum, Plutarchus, & T. Livius Lib. I. cap. 16. narrant. Aristæum pariter a morte resurrexisse, testatur Herodotus Lib. IV. *Histor.*; cui simili

Romuli,
Aristææ, &
Cleomedis.

454 *Refellitur Polytheismus.*

le est, quod de Cleomede Astypalæensi refert Celsus apud Origenem Lib. III. contra ipsum n. 33, eum nempe arca inclusum divino quodam fato evolasse, & sæpius ipsius animam relicto corpore fuisse circumvagatam.

Pythagoræ,
& Apulei.

XCV. 3tio Plura Pythagoræ tribuuntur miracula, de quibus agit Th. Stanlejus in *Hist. Philos.* T. II. P. VIII. cap. 18. Multa etiam Apulejo celebri seculi Ildi Philosopho; adeo ut Marcellinus S. Augustinum rogaverit, ut ea refelleret (epist. 136. inter Augustinianas).

Attii Navii.

XCVI. 4to Attius Navius apud Livium Lib. I. cap. 36. coram Tarquinio Prisco durissimam cotem novacula secuit, ut veritatem auguriorum a Rege contemptam vindicaret.

Miraculosa
Gallorum
elades.

XCVII. 5to narrat Justinus Lib. XXIV. cap. 6, florentissimum Gallorum exercitum duce Brenno, cum devastatis Macedoniæ agris ad expilandum Delphicum Apollinis templum accederet, exorto terræ motu, infecuta deinde horribili tempestate, ac grandine de cælo delapsa, totum ita profligatum fuisse, ut ne vel unus quidem superfuerit, qui tantæ cladis nuncium in patriam reportaret.

XCVIII.

XCVIII. Postremo multo certiora videntur, quæ Vespasianus, & Hadrianus edidere prodigia: & primus quidem referentibus Tacito Lib. IV., & Suetonio in ejus vita, cæco visum restituit, alteri vero manum sanavit, vel pedem (variant enim Historici); Hadrianus autem idem præstitisse a Spartiano dicitur, cuidam fœminæ, & cuidam Pannonio (p).

Vespasiani,
& Hadriani.

XCIX. Sed hæc omnia, & alia multo plura, quæ addi possent, partim falsa sunt, vel saltem certis historiæ monumentis non innituntur; immo nec fuerunt ab ipsis cordatioribus inter Ethnicos credita: partim autem talia, quæ vim dæmonum non superant, adeoque vera miracula dici non possunt. Fidenter incredulos provocamus, ut hæc omnia conferant cum miraculis Moyſis, Christi, & Apostolorum, quæ ut suis locis observavimus, non clam, vel in angulo, aut coram paucis, sed toto inspectante populo, in celeberrimis civitatibus facta sunt, & talis erant naturæ, ut nonnisi a Deo omnipotenti fieri possent; cujusmodi fuit maris divisio, pluvia mannæ, resuscitatio mortuorum, & id genus alia. Referuntur

Omnia simul exploduntur.

Ff 4

tur

(p) Nonnulla etiam narrantur de Vestalibus, quæ in super. Sect. §. LXIV. explicata fuere.

tur in super ab auctoribus synchronis, im-
mo testibus oculatis, viris integerrimis,
in quos nulla fraudis, aut deceptionis
suspicio cadere potest. Fuerunt denique
ab omnibus credita, eorumque ope mira-
bilis facta est totius mundi conversio. Di-
cant, si possunt, an his veritatis chara-
cteribus confirmata sint, quæ jactantur,
Ethnicorum miracula? Sed rem etiam
pressius examinemus.

Isidis, &
Æsculapii
curationes
miracula
non erant.

C. Ad Iuum Isidis curationes inepte
miraculis accensentur; probabiliter enim
nihil aliud erant, quam operationes Sa-
cerdotum, qui medendi arte præstantes
ægros de opportunis remediis admone-
bant. Fortasse etiam ope dæmonum id
aliquando factum est, cum vires eorum
non superet. Æsculapius item insignis
fuit medicus, & propter eximiam hujus
artis peritiam ut Deus habitus. *Æscu-
lapius*, inquit Lucianus in *Philopseude*,
*ejusque posterii salutaria pharmaca ad-
moventes ægros curabant.* Sed quod de
Androgeonis resuscitatione additur, Pro-
pertium habet auctorem Lib. II, qui id
factum dicit Cretenfibus herbis:

*Et Deus extinctum Cressis Epidau-
rius herbis*

Restituit patriis Androgeona fociis.

At

At vero quis non statim Pœtæ figmentum olfaciat? Ut enim Aristoteles ait Lib. I. *Metaph.* cap. 2. πολλά ψεύδονται ἰοιδί *multa mentiuntur Poetæ.* Ad Poetarum etiam fabulas occisio, & suscitatio Hippolyti amandanda est, de qua vid. Virgilius *Æneid.* VII. v. 774, & Servius ad eundem locum.

CI. Ad 2dum, Romuli resurrectionem confictam fuisse ex ipsa Plutarchi narratione facile constat; cum enim populus propter ejus occisionem tumultuaretur, Proculus unus de senatorum primoribus sancto, & maximo jurejurando testatus est, se Romulum vidisse redivivum, multaque gloria coruscantem in cœlum ascendere; cui quidem juramento rudis plebs acquiescere potuit, prudentum autem nemo; quare Plutarchus subdit: *hæc igitur similia visa sunt iis, quæ de Aristæo Proconesio, & de Cleomede Astypalensi Græci fabulantur.* Quamobrem Celsum hæc objicientem jure irridebat Origenes; quamquam de Cleomede nonnisi incertam famam Celsus ipse allegabat: *ajunt, inquebat, ipsius animam sapius relicto corpore circumvagatam fuisse.* Et præterea Cleomedes non a mortuis surrexisse dicitur, sed solum in arca, in quam in-

Romuli,
aliorumque
resurrectio-
nes falsæ.

gressus antea fuerat, minime inventus; quod fraude fieri potuisse, nemo est, qui non videat.

Falsa etiam
Pythagoræ,
& Apulei
prodigia.

CII. Ad 3tium quæ de Pythago-
ra vulgata sunt miracula, auctores habent
multo posteriores, scilicet Jamblichum, &
Porphyrium, qui antiqui hujus Philoso-
phi vitam portentis, & miraculis plenam
eo tantum sine edidisse videntur, ut ve-
ris Christi miraculis fidem detraherent.
Ceterum ea omnia fraudibus, & impo-
sturis plena esse multi eruditi jam demon-
strarunt, ut videre est apud Jac. Brucke-
rum in *Hist. Crit. Philos.* Tom. I. P. II.
Lib. II. cap. 10. sect. 1, ubi omnes fe-
re auctores recenset, qui de romanensi-
bus Pythagoræ fabulis egerunt; ut mirum
sit, a nostris modernis incredulis, &
Voltairio imprimis hæc adhuc in scenam
revocari. Neque pluris facienda sunt mi-
racula Apuleji; cum ipse in prologo *Asi-
ni aurei* se fabulas scribere profiteatur:
sermone isto Milesio, inquit, *varias fa-
bularum conferam.* Unde etiam S. Augu-
stinus Marcellino respondens epistol.
CXXXVIII. cap. 4. allegat ejusdem Apu-
leji elegantissimam apologiam adversus
quosdam, qui eidem crimen magicæ ar-
tis calumniose appinxerant, & ita con-
clu-

cludit: *miror laudatores ejus, qui eum nescio quæ fecisse miracula illis artibus prædicant, contra ejus defensionem testes esse conari.* Confer Dissert. Jo. Wowerii *de vita, & scriptis Apulej* præmissam editioni operum ejusdem Apulej.

CIII. Quartum diluemus verbis Ciceronis Lib. II. de *Divinat.* cap. 38. dicentis: *omitte lituum Romuli, quem in maximo incendio neges potuisse comburi: contemne cotem Attii Navii: nihil debet esse in Philosophia commentitiis fabellis loci.* Vid. etiam Lib. III. de *Nat. Deor.* cap. 6, & Livius loc. cit.

Attii prodigium irridet Cicero.

CIV. Ad id veto, quod quinto loco de Gallorum exercitu ex Justino allatum est, imo observamus, de totius historię veritate non immerito dubitari posse; sunt enim, qui Brennum spoliis Delphicis onustum in patriam remeasse colligunt ex Strabone Lib. IV. *Geograph.*, & ex Athenæo Lib. VI. cap. 5. Deinde etiamsi tota illa historia vera sit, ut Rollinus cum multis aliis censet, illa Gallorum clades sine miraculo naturalibus causis adscribi potest: neque enim aut novum, aut rarum est, multa hominum milia a paucis quandoque vinci, & cædi;

Gallorum clades non est miraculo adscribenda.

præ-

460 *Refellitur Polytheismus.*

præcipue si illi pauci ex improvise hostes locorum imperitia, vel aliis de causis perturbatos adoriantur, ut tunc contigisse Pausanias refert in *Photicis* cap. 20, dicens: *Phocenses locorum notitia suæti per medias nives ex arduis, & præruptis Parnassi anfractibus descendentes, ac de improvise Gallos adorti misilibus illos, ac sagittis impune fixerunt;* additque eos non tam vulneribus, quam frigore fuisse confectos, ac vulnerato Brenno, Græcisque undequaque irruentibus fugam arripuisse; mirabile autem non est, si in hostili, infensaque regione fugientes, omnibus destituti, fuerint usque ad ultimum laboribus, fame, ferroque consumpti.

Quid de
miraculis
Vespasiani,

CV. Quæ postremo loco de Vespasiani, atque Hadriani miraculis allata sunt, imo cum certissimis, maximisque Moyfis, ac Christi miraculis comparari nequeunt, neque naturales dæmonum vires superant. 2do re diligenter perpensa falsitatis suspitione non omnino carent; ut enim Tacitus refert: *Vespasianus ipse sui conscius, statim ac res proposita fuit, primo irridere, aspernari: atque illis instantibus modo famam vanitatis metueret, modo obsecratione ipsorum, & vo-*
ci-

cibus adulantium in spem induci: postremo aestimari a Medicis jubet, an talis cæcitas, ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varie differere &c., ex quibus, aliisque circumstantiis fraudi, atque imposturæ locum fuisse quilibet videt. Nec refert, Tacitum hujus rei testes adhuc suo tempore superstites citare; erant enim rei ipsius, quæ contigerat, testes; non autem judicare, aut testari poterant, an id miraculo, an fraude factum fuerit (q).

CVI. Multo autem apertius fraus, & impostura se prodit in Hadriano; ut enim narrat Spartianus, cum Imperator vitæ pertæsus mortem cuperet, Antoninus, ejus filius sceminam submisisse creditur, quæ diceret, se fuisse in somnis admonitam, ut Imperatorem a morte sibi consciscenda averteret: hoc autem cum facere neglexisset, in pœnam visu orbatam, atque iterum in somnis admonitam, se visum

Atque Hadriani dicendum.

recu-

(q) Hæc cum ita sint, quis non miretur, Lud. La Taste Episc. Bethlehemiticum in sua 3. *Epist. Theol.* scripsisse: *qua de re in historia non revelata non dubitabimus, si duo Vespasiani miracula inficiemur? eademque miracula fuisse postea ab Abbate de Prades in sua Apologia cum miraculis Christi comparata? sed hæc ως ἐν παρῶδο.*

recuperaturam, statim ac genua Imperatoris amplexata ipsi totam rem renunciasset. Nec dissimilis est Pannonii historia; unde facile est colligere, nonnisi dolo ac fraude hæc facta fuisse; & Spartianus aperte fatetur, *Marium Maximum hæc per simulationem facta esse commemorasse.*

Miracula
Apollonii
Tyanæi.

CVII. Hactenus memorata Gentilium miracula leviora videntur cum iis comparata, quæ de Apollonio Tyanæo narrantur; adeo enim illustria fuerunt, ut Hierocles Ægypti Præfectus in *Tract. Φιλαλέτης* Apollonium Christo æquiparare non dubitaverit. Ejus vitam 8. libris Philostratus complexus est, & post Philostratum multa de eo referunt Nicomachus, Thrascius Victorianus, Sidonius Apollinaris, & quidam Soterichus, teste Suida. Suis prodigiis, ac vitæ sanctimonia, non minus quam Christus, divinos honores obtinuit non solum a Tyanensibus, sed etiam ab Antonino Caracalla, ut refert Dio Cassius Lib. LXXVII, & ab Imperat. Alexandro, qui ejus imaginem simul cum imagine Jesu Christi in suo larario habebat, ut Lampridius narrat *in ejus vita* cap. 29. Immo addit Vopiscus in *Aureliano* cap. 24, eandem
Apol-

Apollonii imaginem in pluribus templis fuisse adoratam. Hæc non tam objiciunt Gentiles idololatræ, quam moderni Increduli, qui falsis Apollonii prodigiis abuntuntur ad vera Christi miracula obfcuranda.

CVIII. Frustra tamen; cum latiffimum fit inter utraque difcrimen. Christi enim miracula, præcipue autem ejus reſurreçtio, & in cœlum aſcenſio a pluribus oculatis teſtibus non ſolum verbo, & ſcripto, ſed etiam ſanguine ipſo confirmata ſunt; ab iis, inquam, teſtibus, qui, ut sæpius dictum eſt, neque falli poterant, nec ullo motivo induci, ut alios fallere vellent. Contra Philoſtratus, qui primus omnium Apollonii hiftoriam evulgavit, integro plane ſeculo poſterior fuit (Apollonius enim ſeculo I. uſque ad Domitianum vixit, Philoſtratus autem ſeculo II. deſinente in gratiam Julię Pię Septimii Severi uxoris, quę prodigiorum relationibus delectabatur, ejus vitam edidit). Adhibet quidem auctor iſte *μυθόγραφος*, ut eum vocat Photius in ſua *Biblioth.* Cod. 241, ſuę hiftorię, vel potius fabulę teſtes Damidem Aſſyrium, Maximum Ægienſem, & Mæragenem; ſed obſcuri hi homines ſunt, quibus nec

Comparan-
tur cum
miraculis
J. C.

ipſe

ipse fidere sæpe videtur. Nemo aliis ex tot synchronis, gravibusque auctoribus testis adest; non Josephus, aut Philo Judæi, non uterque Plinius, non Lucianus, aut Javenalis satyrici, non demum Plutarchus, Suetonius, Dio Chrysostomus, Cornelius Tacitus, aliique scriptores, qui ea ætate floruerunt. Immo fertur, quendam Philosophum nomine Euphratem, satyris Apollonium irrisisse. Ulterius tota illa historia fabulis, næniis, puerilibus mendaciis scatet, ut nemo plane eruditorum sit, qui eam non stomachetur. At vero taliane sunt Evangelia, aut alia sacrorum Scriptorum volumina, quibus Jesu Christi miracula, & doctrina continetur?

Et ut falsa
explodun-
tur.

CIX. Præterea quamquam inficias non eo, plures fuisse Apollonii admiratores magicis ipsius artibus, vel etiam apparenti ejus sanctimonia deceptos, certum est tamen, brevi hanc populorum admirationem cessasse, & non diu post loco cultorum nonnisi ejus irrisores superfuisse; Lactantius enim Lib. V. *Divin. Instit.* cap. 3. Hierocli ita fidenter respondebat: *cur igitur, o delirum caput, nemo Apollonium pro Deo colit?* Contra autem Religio Christi statim latissime ex-
panſa

panſa ſemper magis, ac magis corroborata eſt, quod indubium eſt illius veritatis argumentum. Ut enim olim Gamaliel dicebat Act. V. 38., *ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur, ſi vero a Deo eſt, non poteritis diſſolvere illud* (r). Et de miraculis Gentilium ſatis; nunc pauca de prophetiis.

CX. Innumera fere ſunt, quæ Ethnici Gentilium vaticinia. jaçtant, ſuorum Deorum vaticinia, Aruſpicum auguria, & oracula vatium, quorum veritatem ajunt, fuiſſe comprobata eventum. Unum vel alterum commemorare fat erit. Celebre illud fuit Vetii augurium, qui referente Varrone Lib. XVIII. *Antiquit.*

ex

(r) De Apolloniſ impoſturis videri poſſunt inter veteres Eufebius in *Demonſtr. Evang.*, Laſtantiuſ Lib. V. *Divin. Inſtit.*, S. Hieronymus epiſt. 53. ad Pammachium; inter recentiores autem Tillemontiuſ Tom. 2. *Hiſt. des Emper.*, Dupiniuſ *Diſſert. ſur l'Hiſtoire d'Apolloniuſ convaincu de fauſſet * in 12, Baroniuſ ad ann. Chriſti 88, Scaliger in *Eufebianis* n. 278, Huetiuſ in *Demonſtr. Evang.* Prop. IX. cap. 147, & alii innumeri. De ceteris autem Gentilium miraculis agunt Ant. Anſelmus in *ſingulari Diſſert. dans l'Academie des Inſcript. & belles Lettres* Tom. VIII. p. 59, Freretuſ alia *Diſſert.* Tom. VIII. p. 76, & Jac. Seſces *Trait  des miracles*; pr ter nonnullos alios commemoratos a Jo. Alb. Fabricio in *Catalogo Scriptorum de verit. Relig. Chriſt.* cap. 43.

ex duodecim vulturibus a Romulo visis Romanam rempublicam duodecim seculis permanfuram prædixit. Id innuit etiam Livius Lib. I. cap. 7. Reipsa autem duodecim fluxere secula usque ad Valentinianum III, sub quo Roma a Genferico capta est. Aliud narrat Flavius Jos. Lib. XVIII. *Antiquit. Jud.* cap. 6, scilicet cum Agrippa vinculis tentus præ languore reclinatus esset ad arborem, quidam natione germanus bubonem in arbore conspicatus, Agrippæ futuram prosperitatem prædixit, eumque monuit, ut cum eandem volucrem denuo vidisset, sciret se quinque post diebus moriturum: quæ omnia ut prædicta erant, reipsa evenerunt; ut enim ibid. Josephus refert, Agrippa a Cajo Tiberii successore vinculis solutis regium diadema recepit, ac feliciter postmodum regnavit, donec in urbe Cæsarea, cum spectacula ederet, oculis in altum sublatis supra caput bubonem funiculo insidentem conspexit, eoque viso se post quinque dies moriturum intellexit; quod etiam contigit, ut idem Josephus testis est Lib. XIX, cap. 8. Alia id genus agglomerare perquam facile esset.

In veris
Prophetiis
numerari
nequeunt,

CXI. Sed quo plura apud Ethnicos hujusmodi vaticinia spargebantur, eo mi-

no-

norem apud viros emunctæ naris fidem inveniebant, qua de re fatis est legere Ciceronis librum II. *de Divinat.*, ubi augures, & vates irridet. Observat etiam, plerumque oracula hujusmodi fuisse ita ambigua, & obscura, ut *interpretas egeret interprete, & fors ipsa ad sortem referenda esset*: nonnunquam autem ita flexiloqua, & æquivoca, ut cuicumque eventui adaptari possent. Præterea multa ope dæmonum vaticinia edi poterant; isti enim acutissimi, & sagacissimi spiritus plurima ex causarum combinatione prævidere queunt, & Deo permittente, prædicere (s). Reipsa multa fuisse ope dæmonum prædicta vel ex eo liquet, quod post Christi adventum celebriora apud Ethnicos oracula repente siluerint, prout Tertullianus in *Apologet.* cap. 22, Minutius Felix in *Octavio*, & Eusebius Lib. IV. *Preparat. Evang.* testantur. Demum aliquæ prædictiones naturali hominum

G g 2

præ-

(s) Hæc communis fere omnium fuit hominum opinio; cui tamen Ant. van Dale, ejusque epitomator Fontenellius dans *l'Hist. des Oracles*, cum nonnullis aliis refragati sunt, contententes, decantata Gentilium oracula non ope dæmonis, sed Sacrificulorum fraudibus edita fuisse. Consulti possent Cælius Calcagninus in *Lib. de Oraculis*,

prævisioni tribui possunt; aut casu fortuito adimpletæ fuerunt (t). Ceterum adversarios provocamus, ut vaticinia adferant similia iis, quibus divinam revelationem comprobata fuisse superius demonstravimus.

Expenditur vaticinium Vetii.

CXII. Quantum vero attinet ad primum vaticinium de imperii Romani duratione per duodecim secula, imo Livius loc. cit. nil tale habet, sed solum Remo 6. vultures augurio venisse, duplicem autem numerum Romulo; quid autem hoc augurium portenderet, plane filet. 2do etiamsi reipsa de duodecim seculis durationis imperii Romani augurium fuisset explicatum, illius exitus potius casui, quam veræ, & supernaturali prævisioni esset adscribendus. Addo, durationem imperii Romani ultra duodecim secula se extendere, si finem illius accipiamus in Augustulo, qui ultimus fuit Occidentis Imperator, & quo abdicato imperii summa

(t) Sic ex. gr. celebre est illud Senecæ vaticinium de Antipodibus in *Medæa* act. II.

..... *venient annis*
secula feris, quibus Oceanus
vincula rerum laxet, & ingens
pateat tellus, Tiphysque novos
detegat orbes, nec sit terris ultima Thule.

ma ad Odoacrem Herulorum Regem delata est an. Æ. C. 476.

CXIII. Majus videretur negotium fa- Tum aliud Germani.
 cessere prophetia illius *Germani* a Fla-
 vio relata, si firmis inniteretur monumen-
 tis. Certe operæ pretium erat, ut Fla-
 vius aliquid saltem innueret, quo hanc
 prædictionem factam fuisse credere tuto
 possemus, sed ille nullum testem adhibet;
 & quod plus est, rei tam singularis nul-
 la invenitur apud alios auctores mentio.
 S. Lucas in *Act. Apost.* XII. Agrippæ
 mortem narrat, de bubone autem super
 caput insidente ne verbum quidem habet;
 quemadmodum etiam Eusebius Lib. II.
Hist. Eccl. cap. 10. Immo hic auctor
 locum Josephi exscribens, Agrippam su-
 perstantem capiti suo *Angelum* vidisse re-
 fert: nescio autem, an in suo codice ita
 legerit, an vero Flavii testimonium cor-
 rumpere ausus fuerit. Ceterum augurem
 germanum in eo saltem falsum fuisse com-
 perimus, quod Agrippæ prædixerit, libe-
 ris, qui ipsi nati erant, suas relicturum
 opes; cum tamen eodem Josepho referen-
 te Lib. XIX. cap. 8. ære alieno grava-
 tum Agrippam interiisse sciamus.

CXIV. Ceterum perquam facile nobis Falsum Gentilium vaticinium
 esset, multa adducere Gentilium vatici-
 nia

nia, quæ exitu caruerunt. Unum recensimus ex S. Augustino Lib. XVIII. de *Civit. Dei* cap. 53., ubi refert, Gentiles ex dæmonum responsis quosdam versus græcos divulgasse, quibus prænunciabatur, Christi nomen post 365 annos esse oblivione delendum. Hoc vaticinium memorant etiam Baronius ad annum 313 num. 17, & Bossuet in *Explicat. cap. XVII. Apocalypsis*; cujus tamen falsitas satis se ipsa apparet.

Gentilium
objectio.

CXV. Præter miracula, & vaticinia, quibus Ethnici, præsertim rudes falsorum Numinum cultu detinebantur, erat etiam commune omnium præjudicium, multas hujus vitæ prosperitates iis concedi, qui sacrificiis, oblationibus, aliisque erga Deos pietatis operibus illas promerebantur: unde etiam in Deorum templis innumera videbantur suspenfa anathemata acceptorum ab iis beneficiorum testimonia. Contra autem eos variis calamitatum generibus puniri, qui Deorum religiones negligebant, aut aspernabantur. Quamobrem sæpius Gentiles contra Christianos sævisse novimus, quia imperii calamitates derelictis idolorum cultibus tribuebantur. Et S. Augustinus initio operis *de Civit. Dei* narrat, horribilem

il-

illam Romæ vastationem, quæ suis temporibus fuerat a barbaris facta, spreto idolorum cultui fuisse a Paganis adscriptam. Vid. nostri Apologistæ, & imprimis Arnobius Lib. I. *contra gentes*, ubi fuse hoc Gentilium præjudicium exponit, & refellit.

CXVI. Sed huic argumento, quod Refutatur.
 præcipue Julianus objicere solebat, a nostris sæpius responsum fuit, imo inanes Deos non semper iis fuisse propitios, qui eosdem muneribus, sacrificiis, omnique superstitionis genere colebant; & contra nonnunquam omnibus bonis affluxisse eos, qui Deos blasphemabant, aut eorum delubra expilabant. Nonnulla hujusmodi exempla afferebat Cicero Lib. III. de *Nat. Deor.*, præsertim Dionysii Siciliæ tyranni; & Diogenes Cynicus recte observabat, Harpalum, qui illis temporibus prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere. S. autem Augustinus in primis libris de *Civit. Dei* ex historia Romanæ reipublicæ ostendit, populum illum, qui omnium religiosissimus habebatur, non potuisse ab innumera Deorum multitudine, quos colebat, a multis, magnisque calamitatibus præservari. 2do idem S. Augustinus Lib. V. de *Civit. Dei* cap. 15.

loquens de bonis Romanorum moribus, dicit, eis Deum dedisse terrenam gloriam, quibus non erat daturus vitam æternam cum sanctis Angelis suis in civitate sua cœlesti; ac de talibus, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, dixisse Dominum Matth. VI. 2.: *amen dico vobis, perciperunt mercedem suam*; nempe ut alibi idem S. P. notat, *vani vanam*.

De æterna
Gentilium
salute.

CXVII. Scholion I. Nihil hic dicimus de erronea illorum sententia, quæ non solum Zwinglio, aliisque peccatum originale negantibus, sed etiam Catholicis nonnullis placuit, Gentilibus ipsis januam cœlorum regni aperiante. Contra hunc errorem plura dicta sunt in P. V. *Theol. dogm.* cap. II. & videri etiam possunt, quæ in Tom. IV. *Prælect.* nostrarum *Disfert. V.* fusius disputavimus. Sed quantum ad rem præsentem attinet, qui hanc erroneam sententiam adoptarunt, de iis Gentilium heroibus loquebantur, quos ratione duce Deum verum cognovisse, eumque solum rationabili cultu adorasse, arbitrati sunt; nemo autem, quod sciam, Christianorum adeo desipuit, ut illis etiam Gentilibus, qui idololatricam superstitionem sectabantur, salutem æternam concederet:

deret: nisi forte ii soli, qui Deum verum inculpate ignorari posse absurdissime docuerunt, quos confutavimus in P. II. *Theol. dogm.* cap. 2.

CXVIII. SCHOLION II. Locus hic opportunus videretur refutandæ illi calumnix, quam Catholicæ Ecclesiæ quidam ejus ofores appingunt, quod Angelos, ac Sanctos colendo in idololatricam superstitionem manifeste labatur; quasi scilicet ab illis Paganis non distet, qui Jovem ut summum Deum venerabantur, reliqua autem Numina ut Deos inferiores. Sed jam aliqua diximus hæc de re in P. II. *Theol. dogm.* §. 74. in *schol.*; & addere possumus doctrinam S. Thomæ 2. 2. Quæst. 82. art. 2. ad 3, ubi inquit: *devotio, quæ habetur ad Sanctos Dei mortuos, vel vivos, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum, in quantum scilicet in ministris Dei Deum veneramur.* Et S. Hieronymus Epist. CIX. ad *Riparium* inquit: *honoramus, reliquias Martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum* (u). Anne aliquis dicere au-

Discrimen inter cultum Deorum, & sanctorum.

(u) Ut a superstitiosis Gentilibus etiam in modo lo-

474 *Refutatur Mahumetismus.*

debit, talem fuisse honorem, quem stultitia gentilitas suis falsis Diis tribuebat? Et hæc satis de superstitione Gentilium, seu Paganorum (x).

C A P U T IX.

Impure Mahumetanorum sectæ nulla divine revelationis nota suffragatur.

Quam difficile sit Mahumetanorum conversio.

CXIX.

Non hic otiose ea repetemus, quæ in cap. VII. P. I.

Isa-

loquendi distinguamur, recte monent nonnulli, nomen *Divi* nostris Sanctistribuendum non esse; unde Card. Bellarminus in *Recognitione suorum librorum* jubet, ut scubi interscribendum ipsi excidisset nomen *Divi*, immutetur in nomen *beati*, aut *sancti*.

- (x) *Pagani* nomen proprie significat eos, qui pagos incolunt; unde autem, & quando hoc nomen fuerit tributum Gentilibus, est admodum incertum. Communis fere opinio erat, ita fuisse vocatos Gentiles, postquam Religio Christiana sola in urbibus colebatur; tunc enim Gentiles rus secedentes in pagis sua festa celebrabant. Sed cum hoc nomen Gentilibus tributum esse inveniamus, etiam antequam sola Religio Christiana dominaretur, vix ea opinio probabilis videtur. Probabilius censet eruditiss. Jo. Augustus Ernesti in *der neuen theologischen Bibliothek* 8. Band. S. 537., hoc nomen primo iis fuisse tributum, qui militiæ ad-

Isagog. contra Mahumeti *Alcoranum* dicta sunt; neque in impura illius doctrina refutanda diu immorabimur, cum Pere oleum, & operam perdere videantur, qui Mahumetanis oculos aperire fatagunt; non quod difficile sit, putidas fabulas, contradictiones, atque absurditates hujus sectæ ostendere; sed quia ut plurimum illius affecclæ densissimis ignorantiaë tenebris involuti sese disputationis aleæ committere recusant, prætexentes Mahumeti mandatum, qui vaferrimus cum esset, nihil magis prohibuit suis, quam disputationes de religione instituere. Zura XXII. 69. *quod si disputaverint tecum, inquit, dic: Deus est scientissimus in eo, quod facitis: Deus judicabit inter vos die resurrectionis circa id, in quo estis discordes.* Quod sæpius etiam repetit, ut videre est apud Lud. Marraccium P. IV. *Prodromi* cap. 25. (y). Instituti tamen
no-

adscripti non erant; post autem a Christianis, qui se milites Christi appellabant, fuisse Gentiles vocatos *Paganos*, quia Christi militiæ nomen dare recusabant.

(y) *Mahumetas*, vel *Muhamedes*, vel *Machumedes* aut *Machomet* (variis enim his nominibus appellatur) vir fuit litteris omnino vacuus, adeo ut nec scribere, nec legere noverit, nec nisi alienæ manus ope

po-

nostri ratio postulat, ut pauca saltem contra hanc sectam, quæ parti orbis maximæ dominatur, dictis in P. *Isagog.* addamus.

Mahumeti
missio nul-
libi prædi-
cta.

CXX. Et imo quidem, cum Mahumetus divinam revelationem tam in V., quam in N. Testamento contineri fateatur, necesse omnino erat, ut divinam suam missionem in utroque, aut saltem in alterutro Testamento prædictam fuisse ostenderet: sic enim Christus Dominus se
fi-

potuit suarum legum centonem, seu Alcoranum scripto relinquere; quapropter curavit etiam, ut sui sectatores a liberalibus artibus abhorrent, solisque belli studiis incumberent; quod & a primis ipsius successoribus religiose observatum fuit; adeo ut Amrus Saraceni exercitus Dux, cum Alexandriam occupasset, quotquot ibi invenit, libros cremari jussit, ut narrat Abulfarajus *Dynast.* IX. p. III, Successu tamen temporis res fuit immutata, & multi inter Arabes Philosophiæ scientia claruerunt, ut fuse exponit Jac. Bruckerus Tom. III. *Hist. Crit. Philos.* Simul autem cum litterarum studio invecæ sunt etiam inter Mahumetanos disputationes de Religione, & cum disputationibus plures natæ sunt sectæ, quæ ultra 70. jam numerantur. Hinc Theologia quoque polemica apud eos excolta fuit; & si credimus Hottingero in *Biblioth. Orient.* cap. 2, primus fuit Almawakefus, qui systema theologicum compilavit, ac definitivè scientiam, qua idoneus redditur quis ad confirmandos articulos religionis allatis probationibus, & dubia solvenda.

filium Dei a Patre missum ex veterum Prophetarum oraculis clarissime demonstravit. At vero id efficere Mahumetus nunquam potuit; nam quæ ex V. T. vaticinia ad se detorquere conatus est Zura VII, manifeste ad Christum pertinent, ut ipse quoque nonnunquam fatetur. Cum autem nulla ex nostris Evangeliiis pro sua missione confirmanda afferre posset oracula, suis persuasit, ea esse corrupta, deletumque insignem locum, ubi ipsius nomen, doctrina, atque actiones prædicebantur (ita refert Pocockius in *Specim. Histor. Arabum* p. 185). At vero nonnisi stupidi Mahumetani credere poterunt, omnia Evangeliorum exemplaria, quæ in immensum numerum statim excreverunt, atque in varias linguas fuerunt translata, corrupta fuisse.

CXXI. Uterius, quemadmodum Moyses, & Christus Dominus magnis, stupendisque prodigiis, ac verissimis prophetiis suam missionem comprobarunt, Mahumetus, qui se ipsum ut Prophetam, & Dei legatum majorem, quam illi fuerant, prædicabat, debuisse etiam eadem, vel paria miracula patrare, quibus tanquam totidem divinæ potentiæ sigillis legationem, ac missionem suam comprobaret.

Nec miraculis confirmata.

ret. Nihil vero minus in tota ejus vita legitur; quæ enim de se ipso narrat, videlicet Gabrielem Archangelum sibi sæpius fuisse locutum, aut se in cœlum raptum ibi suam hausisse doctrinam, & alia hujus generis, manifestæ sunt imposturæ, quas quilibet potest suo arbitratu sine ullo vade, aut teste in vulgus spargere (z). Quæ autem ab ipsius affectis postea divulgata sunt miracula, partim ridicula sunt (ut illud de tertia parte lunæ, quæ in ejus manicam descendit, quamque ille suo loco restituit), partim naturæ vires non superant; & partim nulli satis firmo testimonio innixa (a).

CXXII.

(z) Cum Mahumetus comitiali morbo sæpius corripetur, Chadigæ uxori suæ persuasit, sibi Gabrielem Angelum apparere, cujus aspectu oborta ex metu vertigine se collabi, & humi procumbere: in his autem extasibus se de rebus ad religionem spectantibus edoceri.

(a) Hujusmodi sunt miracula columbæ ad aurem ipsius advolantis, a qua se instrui dicebat Mahumetus de novis suæ religionis dogmatibus; cameli, quem secum noctu confabulari mentiebatur; aquæ, quæ ab ejus digitis erupisse dicitur; lapidum, arborum, ac belluarum, a quibus traditur, fuisse salutatum, ut verum Dei legatum; ac denique celeberrimi illius itineris, quo una nocte a Mecca in Jerusalem livisse fingitur, unde in cœlum ascendit, ibique

CXXII. Unum tantummodo est quod aliquam difficultatem ingerere videtur, & quo etiam abutuntur increduli ad enervandam illam divinæ revelationis notam, quæ ex mirabili Religionis Christianæ propagatione elucet; videlicet sectam Mahumeti fuisse brevi tempore tam late propagatam, ut propagationem Christianæ Religionis non adæquet modo, sed fortasse etiam superet. Si tamen utriusque propagationis modum simul conferamus, latissimum apparebit discrimen. Religio Christiana tribus integris seculis prioribus in omnes mundi partes fuit disseminata Imo a rudibus, & inermibus Apostolis, deinde ab eorum discipulis, non vi, aut potentia, sed potius contra

fæ-

Discrimen
inter præ-
pagationem
sectæ Ma-
hum. & Re-
ligionis J.C.

que paradifum, & infernum vidit, ac cum Deo locutus est. Otio, & litteris abuteretur, qui hæc, & similia Mahumeti prodigia referre, ac refellere vellet. Videri possunt Lud. Marraccius in *Synopsi vitæ, rerumque gestarum Mahumeti*, Hottingerus in *Hist. Orient.*, Hoornbeckius in *summa controversiarum*, Rich. Simon *Hist. critique de la creance des nations du Levant*, Chevreau *Hist. du monde*. Ceterum notum est, Mahumetum provocatum, ut miraculis suam missionem confirmaret, callide, ut solebat, hoc certamen eluisse. Id fuisse, ac perspicue ostendit laud. mox Lud. Marraccius in P. II. *Prodromi ad refutationem Alcorani* cap. 3, & sequ.

sævissimas Imperatorum persecuciones (vid. sect. super. §. CLXVII, & sequ.): superstitio autem Mahumetana vi, & armis sua augmenta debet, iisdemque mediis conservatur. 2do Religio Christiana omnibus corruptæ naturæ passionibus bellum indicit, præcipue autem concupiscentiæ, & iracundiæ, quæ nonnisi difficillime domantur, & continentur: Mahumetus autem suis & polygamiam permittit, & vindictam.

Prosecutio
ejusdem
discrimi-
nis.

CXXIII. Accedit, quod propagationi Alcorani multum contulit ignorantia, quæ illo seculo præcipue inter Arabes dominabatur: contra autem Religio Christiana eo tempore nata, & propagata fuit, quo liberales artes, omnisque generis scientiæ adhuc in imperio Romano florebant. Et quamvis, ut supra §. CXIX. innuimus, lex ignorantiae, quam astutissime Mahumetus suis imposuerat, non omnino servata fuerit, nemo tamen nescit, litteras apud Mahumetanos nunquam magno in pretio fuisse, ac si itineratoribus credimus, quotquot inter Turcas scientiis eminerent videntur, Alcorani deliramenta plane irrident, immo ad impietatem, & atheismum

num declinant (b). Contra vero res accidit in Religione Christiana, quam omni ferme ætate viri scientiarum omnium laude eximii professi sunt, & adhuc profitentur. Demum nullatenus concessero, plures esse Alcorano addictos, quam Christianos. Hi enim ubique terrarum inveniuntur, etiam ubi superstitione Mahumetana, aut idololatræ dominatur; Mahumetani autem certas plagas, quamvis non exiguas occupant, extra illas eos invenire difficile erit.

CXXIV. Præter hæc omnia si Alcoranum ipsum, prout litteraliter sonat, ad examen vocemus, non paucas in eodem inveniemus contradictiones, quas non alia ratione tollere conantur Mahumetani, quam dicendo, Angelum Gabrielem ea retractasse, quæ prius Pseudo-prophetæ Alcorani
contradi-
ctiones, &
mendacia.
di-

(b) Reipsa ad impietatem, & atheismum Mahumetanorum Theologiæ principia ducere, ostendit Bruckerus Tom. III. *Hist. Crit. Philos.* Per. 2. P. 1. Lib. 3. cap. 2; hæc enim principia in lege, traditione, & ratione sita sunt, atque ad hanc præcipue tandem confugere coguntur Mahumetani; quo fit, ut quilibet pro genio suo philosophetur. Laud. Bruckerus nonnullas etiam Mahumetanorum sectas recenset atheismi labæ infectas, ut *Zindekæiorum, Daraniorum, & Loquentium*, quos *Meddaberim* vocant.

Gazzan. Theol. polem. Hh

dictaverat, prout occasiones, & circumstantiæ exigere videbantur; & quidem observat Prideaux in *vita Mahumeti* p. 155. plus quam 150. versus ita revocatos inveniri (c). Hoc tamen cum divina revelatione componi non posse, quilibet sensu communi præditus facile judicabit. Quemadmodum etiam ex divina revelatione certe promanare non potuit, quod Mariam Virginem fuisse Aaronis sororem putido anacronismo scripsit Zura XIX. 27. Nec denique quod Zura IV. 156. fabulatur, non Jesum Christum, sed alium ei similem fuisse a Judæis crucifixum. Et infinitus essem, si omnia Alçorani com-

men-

-
- (c) Speciminis loco sit quod Zura II. 62. dicitur, de Judæis, & Christianis: *quisquis ex his crediderit in Deum, & diem novissimum, & fecerit rectum, erit ipsi merces apud Deum.* At vero Zura III. 84. aperte contradicitur his verbis: *& qui sectatus fuerit præter Eslam religionem aliam, profectio non acceptabitur ab eo, & ipse in novissimo seculo erit ex pereuntibus.* Nonnulli quidem conati sunt subtilibus interpretationibus hanc antilogiam tollere; sed sapientiores Moslemi nodum fecant dicentes, eam doctrinam, qua omnes religiones ad æternam salutem ducere affirmabatur, utpote sectæ Eslamicæ nimis perniciosam fuisse retractatam. Sane in eadem Sura II. 122. expresse dicitur: *Qui non crediderit in eum (Alcoranum) hi erunt pereuntes.*

menta recensere numerando vellem. Videri potest Nat. Alexander, qui in *Hist. Eccles.* Sec. VII. cap. 2. art. 2. integram exhibet Alcorani synopsim. Et hæc pro nostro instituto plus quam satis (d).

CXXV. SCHOLION. Nihil ineptius blasphemis quorundam incredulorum, qui Mahumetum cum Christo conferre ausi sunt, cum non magis tenebræ opponantur luci, quam ille impostor sanctissimo nostræ Religionis fundatori. Imo enim religio Christi tota pura est, tota casta, desideris carnis opposita, ac in duobus maximis præceptis dilectionis Dei, & proximi fundata. In ea rerum temporalium contemptus, & promissiones omnes cœlestes. Contra vero superstitio Mahu-

Parallelum inter Christum, & Mahumetum.

H h 2 me-

(d) Qui plura desiderat, adire poterit Lud. Maraccium in *Prodromo ad Alcoranum*, ubi omnia fere collegit, quæ ad hanc materiam spectant. Inter veteres autem vitæ Mahumeti scriptores eminent Abulpharajus, Elmacinus, Eutychius, & Ismael Abulfeda, cujus postremi tractatum *de vita, & rebus gestis Mahumetis Moslemicæ religionis auctoris, & imperii Saracenicæ fundatoris* ex arabica lingua in latinam vertit, & notis illustravit Jo. Gagnerius. Multo plures recentiores vitam Mahumeti ediderunt; sed cavendum est ab illa, quam Comes Boulainvillierius non alio fine edidisse videtur, quam ut Christianæ Religionis aliquod, si posset, præjudicium inferret.

484 *Refutatur Mahumetismus.*

metana vi, & potentiæ armorum innitur, vindictam concedit, permittit polygamiam, & quod pejus est, etiam concubinatum: promittit in hoc mundo victorias, rapinas, & bona omnia temporalia; in altera autem vita carnales delicias, & sensuum illecebras brutorum potius, quam hominum proprias. 2do Christus mansuetudinem verbo, & opere docuit, ut vere dicere potuerit: *discite a me, quia mitis sum, & humilis corde* Matth. XI. 29: omnipotentia sibi propria nonnisi ad curandos infirmos, & suscitandos mortuos usus est, se ipsum autem præbuit tanquam ovem, quæ ad occisionem ducitur: Apostolos misit sine pera, sine calceis, sine pecunia, & tamen his armis de idololatria triumphavit, & omnia traxit ad se ipsum. Mahumetus tippo superbiæ inflatus, iram, ac vindictam spirans primo latronibus se adjungit, ac rapinas exercet, postea ferro sibi viam ad imperium aperit, cædibus omnia implet, Apostolos habet, qui non pro ipso moriuntur, sed alios occidunt: vir mulierosus, qui non una contentus plures uxores sibi copulat, alienas etiam rapit, ac denique concubinas addit. Christus demum post tres dies, ut prædixerat, a
mor-

mortuis resurgit, & spectantibus Apostolis in cœlum ascendit. Mahumeti resurrectionem frustra expectarunt ejus affectuæ; & fortasse verum est, quod nonnulli tradunt, ejus corpus, quod propter spem resurrectionis insepultum manebat, fuisse a canibus devoratum.

Et de hac prima Theol. polem. Parte hæcenus; de qua præter auctores suis locis recensitos dignus certe est, qui consulatur eminentissimus Cardinalis Vinc. Lud. Gotti de veritate Religionis Christianæ. adv. Atheos, Polytheos, Idololatrias, Mahumetanos, & Judeos.

Tom. XII.



